

10

10

5

100

ta Junc

r Demit



NATALITIA
PUERI JESU
DEI-HOMINIS

Sive

CONCIONES

DE
DULCISSIMO
NATIVITATIS DOMINICÆ
MYSTERIO,

*Et in Dominicas post Epiphaniam usq; ad
Feriam Quartam cinerum.*

PARS SECUNDA.

AUTHORE

R.P. JOANNE JAHODA, è Societate JESU,
Moravo Cremstiensi.

*Ex libris Francisci
Pywalsky Viennæ.*

SULZBACI,

Sumtibus WOLFGANGI MAURITII ENDTERI,
& JOHANNIS ANDREÆ ENDTERI Hæredum.

Excudit Abrahamus Lichtenthaler.

ANNO M. DC. LXXVII.

Alcali. Oct. 22. Anno. 1672.

14956

1672



GOVINDA

DE

MISTERIO
DOMINICAE

DE DOMINA DOMINI

PARADISO

SO



ADAMUS

ALLEGORIE
SACRAE

ALLEGORIE



AD LECTOREM.

Ioannes Iahoda SoCletatis IesV MortVVs GLattoVI^e in Bohemia,
Imisit ad nos, non multò ante obi-
tum suum, secundam partem con-
cionum, sub titulo: NATALITIA
PUERI JESU, quam post editam Pra-
gæ primam partem, cui titulus: AD-
VENTUS DEI HOMINIS, in integrum
anni circulum erat continuaturus.
Et verò pretiosum opus posteris re-
liquisset, nisi coeca mors, erepto pro-
pe jam integro à prodromis morbis
visu, nondum contenta, ipsam et-
iam corpori animam invidisset. Ne-

AD LECTOREM.


que tamen Authorem sic abstulit,
ut ipsummet nobis non redderet in
hoc Ecclesiastico partu , hoc etiam
sive pretiosiore, sive admirabiliore,
quod à coeco cōpositus fuerit: Tam
enim malè affectis erat oculorum
pupillis , ut nullam , quantumvis
magnam , scripto, aut typo expre-
sam litteram discernere valeret. Un-
de librorum lectione nullam sibi o-
pem asserre potuit , nisi quam pro-
prium ingenium, ac memoria, vel
exigua etiam amanuensis , sacros ,
profanosq; textus lustrantis opella
subministravit. Multorum tamen
votis expetitum est hoc opus, & ita

com-

AD LECTOREM

commendatum, ut nullis sumptibus
parcere voluerimus , quin illud
quantocytus typis mandaremus, &
tuæ amici Lectoris benevolentiaæ
suffragaremur. Si quid tamen vel
sermonis elegantiaæ , vel ipsi etiam
stylo (ut vocant) quidpiam deesse
animadversum fuerit, id omne mor-
bis, quibus indies gravabatur, attri-
bui cupimus. Vale.

*Wolfgangus Mauritius Endter,
& Joh. Andrea Endteri Heredes.*



FACULTAS

R. P. PROVINCIALIS BOEMIÆ.

MATHIAS TANNER,

Societatis JESU per Provinciam Boemie Prepositus
Provincialis

Lecturis salutem in Domino sempiternam.


Um librum, cui titulus est, Natalitia Pueri
JESU, à P. Joanne Johada nostra Societatis
Sacerdote conscriptum, tres ejusdem Societatis
Sacerdotes recognoverint, ac in lucem edi posse ju-
dicaverint, potestate à Patre nostro Joanne Paulo
Oliva Preposito Generali ad id mihi datâ, facultatem
concedo, ut liber typis mandetur. In quorum fi-
dem has litteras manu meâ subscriptas, & sigillo officii
mei munitas dedi. Praga 7. Maii A. 1676..

Mathias Tanner mpr.

(L. S.)

Imprimatur

Wenceslaus Bilek à Bilenberg
Officialis.

INDEX

INDEX THEMATICUM

PARTIS SECUNDÆ.

*In Nativitate DOMINI nostri JESU
CHRISTI.*

CONSIDERATIO I.

*JESULUS nascens, amor parvulus.
Parvulus natus est nobis. Isaiae 9.*

Pag. 1

*Dies Secunda infra Octavam Nativitatis
DOMINI.*

CONSIDERATIO II.

*JESULUS nascens amor vagiens, seu plorans.
Primam vocem similem omnibus emisi plorans. Sap. 7. p. 17*

*Dies Tertia infra Octavam Nativitatis
DOMINI.*

CONSIDERATIO III.

*JESULUS nascens, amor ridens.
Risum fecit mihi DEUS. Gen. 21.*

p. 28

*Dies Quarta infra Octavam Nativitatis
DOMINI.*

CONSIDERATIO IV.

*JESULUS nascens, amor vulnerans.
Ipse vulnerat, & medetur. Job 5.*

p. 39

*Dies Quinta infra Octavam Nativitatis
DOMINI.*

CONSIDERATIO V.

*JESULUS nascens, amor nudulus, ac frigens.
Nudus egressus sum de utero matris meæ. Job 5.*

p. 52

Dies

INDEX THEMATUM.

Dies Sexta seu Dominica infra Octavam
Nativitatis.

CONSIDERATIO VI.

JESULUS nascens, amor admirabilis.

Erat pater ejus, & mater mirantes super his, quæ dicebantur
de illo. Luce 2.

p. 63

Dies Septima infra Octavam Nativitatis
DOMINI.

CONSIDERATIO VII.

JESULUS nascens, amor lactens, & lacteolus.

Quis mihi det te fratrem meum, sugentem ubera matris. Can-
tic. 8.

p. 72

In Octava Nativitatis
seu

In Circumcisione DOMINI.

CONSIDERATIO VIII.

JESULUS nascens, amor nominatus.

Vocatum est nomen ejus JESUS. Luce 2.

p. 87

Dominica Secunda post Nativitatem
DOMINI.

CONSIDERATIO IX.

JESULUS nascens, amor fugitivus.

Secessit in partes Galileæ, & habitavit in Nazareth. Matth. 2.

p. 104

In Die Epiphania Domini.

CONSIDERATIO X.

JESULUS nascens, astrorum splendor.

Vidimus stellam ejus. Matth. 2.

p. 116
Domini

INDEX THEMATIC.

§. II.

Consuetudo peccandi moralem quandam necessitatem inducit. p. 207

§. III.

Cujusmodi volucres in tali queru habitent?

p. 210

Dominica Septuagesimæ.

Contractus DEI cum hominibus.

Conventione factâ cum operariis ex denario diurno, misit eos in
vineam. *Matth. 20.*

§. I.

p. 217

An homo sit capax cum DEO contrahere.

§. II.

p. 218

Pecunia omnis labor, quamvis arduus, venalis.

§. III.

p. 220

Mundus infra, DEUS ultra condignum suis operariis solvit. p. 222

§. IV.

p. 222

Pauci cum DEO, plures cum mundo contrabunt.

p. 225

Dominica Sexagesimæ.

*Quinam aures audiendi, et quinam aures videndi DEI
Verbi habeant?*

Qui habet aures audiendi, audiat. *Luc. 8.*

§. I.

p. 230

Quænam sint illæ aures audiendi Verbum DEI?

§. II.

p. 231

Quæ sint aures incircumcisæ?

§. III.

p. 234

Quinam Verbum DEI auribus speculentur?

Dominica Quinquagesimæ.

Cœcus quidam sedebat secus viam. *Luc. 18.*

§. I.

p. 242

Peccator exoculatus.

§. II.

p. 243

Peccator non videt præsentem sibi DEUM.

p. 246

§. III.

INDEX THEMATUM.

§. III.

Peccator non videt seipsum.

p. 248

In precibus XL. Horarum.

Quæ hoc triduo bacchanalium in Ecclesiis PP. Societatis
JESU solenniter habentur.

Primâ Die.

Aspectus DEI de cœlo horribilis: de SS. Eucharistia
benignus, & amabilis.

Dominus de cœlo prospexit super filios hominum, ut videat, si
est intelligens aut requirens DEUM. p. 257

§. L

Prospectus DEI de cœlo, & descensus in terram, plerumq. ira ejus
denotat. p. 258

§. II.

DEUS ex sanctissima Eucharisti prospicit, ut misereatur. p. 263
Secundâ Die.

Gaudium peccatorum punctuale, & fallax.

Gaudium hypocritæ ad instar puncti. Job 20. p. 267

§. L

Extremum gaudii mundani luctus & tristitia. p. 268

§. II.

Mundi gaudia, & inferorum dolores in punto se contingunt. p. 271

Tertiâ Die.

Bacchanalium Valedictio.

Si secundum carnem vixeritis, moriemini. Rom. 8. p. 277

§. L

Carni propriæ valedicere, est sancta Bacchanalia agere. p. 278

§. II.

Qui secundum carnem vivunt, tristem Parasceven agunt. p. 283

A. M. D. G.

IN NA-

INDEX THEMATUM.

- Dominica Prima post Epiphaniam.
Amissi filii quatenus parentibus lugendi, & requirendi.
Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus, & ego dolentes
quærebamus te. *Lucæ 2.* §. I. p. 130
- Filiis orbari summus parentum dolor. §. II. p. 131
- Factura spiritualis filiorum præ corporali parentibus destenda. p. 134
§. III.
- Quomodo perdit filii à parentibus requirendi. §. IV. p. 138
- Quæ filiorum jactura bona, & salutaris? p. 142
- Dominica Secunda post Epiphaniam.
Bonæ, & malæ conscientia cum bona, & mala uxore comparatio.
Nuptiæ f. & æ sunt. *Joan. 2.* §. I. p. 144
- Conscientia cordis sua cuiq; uxor est.* Augustin. §. II. p. 146
- Secura mens, quasi iuge convivium.* *Prov. 15.* §. III. p. 150
- In nuptiis bonæ conscientia non est audire: vinum non habent.* p. 153
- Dominica III. post Epiphaniam.
Quomodo potestate utendum?
Homo sum sub potestate constitutus, & dico servo meo, fac hoc,
& facit. *Matth. 8.* §. I. p. 157
- Servi sint suis Dominis pretiosi.* §. II. p. 159
- Qui potestatem habent, benefici vocantur.* *Luc. 22.* §. III. p. 161
- Severitas nimia in subditos Dominis cavenda.* §. IV. p. 164

INDEX THEMATUM.

- §. IV.
- Severitate aliquando utendum, & quomodo?* p.168
- Dominica IV. post Epiphaniam.
- Christus in terra, loco securitatis, pervagilat: in mari, periculorum centro, dormit.*
- Ipse vero dormiebat. Matth. 8.* p.172
- §. I.
- Christus ad pericula suorum dormit, ut excitetur.* p.174
- §. II.
- Malorum malacia, certum naufragium.* p.180
- §. III.
- DEUS ad ruinas impiorum tam altum dormit, ut nullis eorum clamoribus excitari possit ad opitulandum.* p.184
- Dominica V. post Epiphaniam.
- Quomodo eradicando malos, periculum sit eradicandi & bonos.*
- Netortè colligentes zizania, eradicetis cum eis simul & triticum.*
- Matth. 13.* p.188
- §. I.
- In agro hujus mundi, zizaniorum, quam tritici longè posterior pars.* p.188
- §. II.
- Messis prædicatio Evangelica est, in qua è zizaniis optimum triticum colligitur.* p.192
- §. III.
- Qualiter boni à malis exerceantur.* p.197
- Dominica VI. post Epiphaniam.
- Consuetudo peccandi citò crescit in arborem, ad quam radicitus extrahendam giganteis viribus opus est.*
- Cùm creverit, fit arbor: ita ut volucres coeli habitent in ramis ejus. Matth. 13.* p.202
- §. I.
- Vitium in herba extirpandum.* p.204
- §. II.



IN NATIVITATE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

Consideratio I.

Jesulus nascens Amor parvulus.

Parvulus natus est nobis. Is. 9.

I.



Bsolutæ perfectionis

exquisitè studiosa rerum parens natura quām in magnis & grandibus est admirabilis : ita in parvis ac minutis conspicitur amabilis. Admiramur

ingentes cœlorum orbes, admiramur magnam mundi lucernam solem,

quem etiam sapiens divinus per anto-

nomasiam *vas admirabile* non dubitavit appellare ; suspici- Eccl. 43.

mus vastas montium rupiumque moles, annosas quercus, pro-
ceras platanos, altissimas cedros ; immensa spatiis æquora rapidoisque fluminum vortices trepidi intuemur ; obstupesci-

mus grandia elephantorum corpora , jubatos leones, cervos
capita alta ferentes, immanes balænas, regales aquilas attoniti
spectamus : cùm è contrario tenellos flosculos , albicantes

narcissulos, comantes hiacynthulos, humiles violas, crispan-

tes rosulas, parvas luscinias, viridantes luteolas, niveas co-

A .

lumbu-

Iumbulas, suave blandientes sciurulos, Melitenses catulos, lusitantes hinnulos, balantes agnellois tenero affectu prosequimur ac diligimus. Sed & inter homines quæ non blanditiæ exhibitentur parvulis Batyllis, Camillulis, Ascaniolis; dum interim procerus aliquis Goliath, Mimas, Enceladus & ornos jaculans Monychus ceu quædam naturæ portenta ipsas ad sui conspectum præ stupore stare faciant comas. Eandem affectuum diversitatem æmulatrix naturæ ars in animis ingenerat: quam sicut in turri ac muris Babyloniis in Pharo ac Pyramidibus Nili, in Rhodio & Olympio Colossis, in templo Ephesio, in Mausoleo, in Amphitheatris mirabilis prædicamus; ità in Zeuxis uvis, in Myrmecidæ quadrigis sub ala muscæ conditis, in Callicratis nave apiculæ pinnis commensurata, in Homeril Iliade nuci inclusa, in horologio Caroli V. annuli palâ contorno & id genus minutis artis elegantiis supra modum deliciamur.

Juvenal. Sa.
tvr. I.

Pf. 110.

Pf. 47.

Pf. 76.

Pf. 88.

Pf. 92.

Exod. 20.

Malach. 3.

II. Summus naturæ Autor & artifex D E U S , antequam humanam carnem assumeret, non aliter ferè quam Magnus ac mirabilis ex operum à se conditerum magnitudine, maiestate & exquisita perfectione audiebat: *Magna enim opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus, canit Psaltes regius.* Unde & toties repetit: *Magnus Dominus & laudabilis nimis.* *Quis DEUS magnus sicut Deus noster?* *Magnus super omnes Deos.* Psal. 135. *Qui facit mirabilia magna.* Mirabilis in altis Dominus, &c. Verum quam magnus & mirabilis tam terribilis ac formidandus universis fuit: ut neque ei appropinquare, nec oculos in eum intendere, nec loquentem sustinere quisquam auderet & posset. Sic Exodi 20. populus Iraëliticus Moysen deprecatur: *Loquere tu nobis & audiemus: non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur.* Et Malachiæ 3. air Propheta: *Veniet ad templum suum Dominator & quis stabit ad videndum eum?* Viderant ejus quasi umbram duntaxat in persona Angeli Samsonis parentes, & continuò exclamant

mant: *Morte moriemur, quia vidimus Deum: noverant enim Jud. 13,*
 ab eo Moysi aliquando dictum: *non videbit me homo & vivet.*
Cupis o Moyses, videre fulgorem faciei meæ, ut in facie videoas Exod. 33,
 eum qui tecum loquitur, cujusque voces audis: *verum scito id*
sieri non posse, nam fulgor hic faciei meæ licet corporeus &
assumptus, quia tamen aliquo modo fulgorem essentia &
majestatis meæ referre, adumbrare & repræsentare debet, hinc
talis tantusque est, ut illum ferre non possit mortalis oculus,
quoniam protinus hoc fulgore homo excæctetur, immo exanime-
tur, & moriatur. ita Abulensis. Ne ergo posthac tantæ esset
formidini; sed, quemadmodum ab æterno cupiebat intimè
se hominibus communicare, ut magis amaretur quam time-
retur, terrificâ illa majestate occultata, in parvi pupuli for-
mas se contraxit, dum hodie parvulus natus est nobis & filius
similis filiorum hominum datus est nobis.

Ila. 9.

III. Veteres & præsertim Græci, qui de ortu & natura Amoris ingeniosè & acutè scripsere, eum Dei sobolem Deoque genitum ac *cuelo delapsum* commenti sunt. Heliodorus in Chariclea non dubitavit dicere: *Maximus Deorum est Amor*, Aristophon ac ipsos etiam Deos interdum superare dicitur. Nihilominus in Pythag. Heliod. Charicl. I. 4 hunc tantum & maximum Deum non alio ferè quam parvuli & infantuli schemate effingebant & expingebant. Apud Philostratum amores inducuntur cycnis insidentes eosque frenantes in aqua, hi habenam relaxantes, hi contrahentes, hi in Imag. flectentes. Hic Amor proximum deturbat, hic jam dejicit, hic ex ave cecidisse gaudet, &c. alibi in specie infantum poma legentium atque sibi invicem porrigentium. Apollonius item in Astronomicis Cupidinem & Ganymedem ludentes astragalis in atrio Jovis fингit. Sic Praxitelis cupidus puer erat floridus, tener, alis præditus, & autem ipsum (è quo formatus Callistrat. fuerat) ceu animâ quâdam informare in eoque dominari vi- Expos. star. debatur. Nimirum

Ovidius.

*Non bene conveniunt nec in una sede morantur**Majestas & amor.*

canebat ille. Qui seu amat, seu vult amari vel ex magno parvus fiat, est necesse. Tenera sunt amantium corda, magnos non capiunt: simplex & candida est natura a moris, maiestate percellitur; non secus ac pupuli ad proceri & armati hominis conspectum diffugiant, sibi verò paribus pupulis colludunt. Sic fortissimos Samsonis, invictos Hercules, sapientes Agesilaos, potentissimos Sardanapalos amor (insanus ille quidem) pueros & puellas fecit. Nam de Samsonе sacra perhibet pa-

Judic. 16.

gina, quod, posteaquam amore Dalilæ captus suæ fortitudinis ei secretum aperuisset, statim ab eo fortitudo discesserit, & ceu imbellis puer à Philisthæis nullo negotio sit comprehensus. Hercules monstrorum orbisque totius domitor ac terror amore Omphales totum se in ejus potestatem tradidit, ac depositis Nemeæ Leonis exuviis abjectaque vietrice clava ancillarem togam induens fusumque in manus assumens ancillatus est.

Joan. 13.

Jam quamvis profana divinis, incesta sanctis, carnalia spiritualibus, comparare minimè deceat; nihilominus tamen quod in ipsis vesanus Cupido vesanè egit, hoc in Deo divinus amor sapientissimè operatus est (non enim rectè pronuntiavit P. Syrus Mimus: *Amare & sapere vix DEO concedi*) hoc, inquam sapientissimè operatus est, ut & ipsum puerum efficeret, hominis quem unicè, & ut ille ait, *in finem & extremè diligebat, causâ.* Puer factus est ac tenellus infans exigua corporis ac membrorum quantitate, at non sensibus & intelligentiæ imbecillitate. Hic est enim ille puer, de quo vaticinatur Prophetarum alpha: *Vocabitur consiliarius;* vel, ut Septuaginta: *vocabitur nomen ejus magni consilii angelus;* vel, ut Cyprianus: *magna cogitationis.* Verè magni consilii, quia ipsa æterni Patris sapientia, per quam mundus hic sapientissimè

Ifa 9.

Lactant. 1.4.
de relig. c. 6.

uti fabricatus est, ita & regitur, quod ait Lactantius: Magni consilii

Consideratio I.

consilii, quia in eo sunt eadem consilia Patris & Filii ac Spiritus Sancti, quod docet Clemens Alexandrinus: magna cogitationis, quia quod nulli creaturæ in mentem venire potuit, admirabilem modum adinvenit hominem cum Deo reconciliandi, prudentissimè consilium & dispensationem economiæ Dei de humana redemptione per suam incarnationem facienda peragendo, quod cum Basilio asserit Hieronymus.

Clemens. I.
6. Stromat.

Nec minus eleganter de eo Augustinus: *Magnus Deus Angelorum parvus fit in die hominum. Conditor solis conditus sub sole. Effectus cœli & terræ sub cœlo exortus in terra. Ineffabiliter sapiens, sapienter infans.* Talis ergo tantusque & tam sapiens puer teste Propheta Evangelico, datus & natus est nobis: nobis hominibus, non Angelis, qui, ut loquitur Bernardus, cum magnum haberent, parvulum non requirebant, utpote & ipsi magni & ob intellectus perspicaciam meræ Intelligen-
tiæ à Scholasticis Doctoribus appellati: Datus est nobis, qui era-
ramus parvuli sensibus, sive intellectu & rationis usu, humiles
contemptibiles, imbelles ac sine viribus; nam de Israëlis populo alijs electo voce Dei apud Prophetam dicitur: *Ecce parvum dedi te in Gentibus: contemptibilis tu es valde.* Et Apo-
stolus ad Galatas: *Cum essemus parvuli, sub elementis mundi eramus servientes; parvuli, ut explicat Anselmus, tum in co-
gnitione, tum consequenter in amore Dei, justitiae & salutis; sub elementis mundi servientes, id est, sub littera & quasi alpha-
beto legis veteris.*

Bern. ser. 4.
sup. Missus.

I V. Datus proinde nobis sic parvulis & elementariis datus est sapientissimus parvulus Deus veluti Magister, quo ex ele-
mentis illis ad altiorem scientiam sublimemque sapientiam nos erudiret. Sicut enim pueri, ait citatus Anselmus, discunt elementa & conjunctionem elementorum, sed ipsas voces & sententias ex elementis non intelligunt, donec ad altiores disciplinas perveniant, ad quas non pervenissent, nisi elementa premississent: ita Judæi elementa habuerunt suarum cæremonia-

Abdias.
Galat. 4.

rum, quarum significationem non intellexerunt, donec ad Christi fidem per hæc elementa, quasi elevamenta pervenerunt. Quamvis autem apud homines pueris præceptores ac Magistri dentur, non ipsis similes pueri, sed ætate natûque majores, proiectiores & grandiores, quò sic autoritatem, observantiam, timorem ac reverentiam inter discentes obtineant: parvus tamen hic de cœlo Magistellus vel ideo talis nobis datus est, quo facilius, ut loquitur Bernardus, persuaderet exemplo, quod docturus erat verbo, suisque discipulis per omnia similis amore quam timore animos eorum ad suas disciplinas excipiendas redderet paratores. Sic & Paulus Doctor gentium cum suis, quos Christo recens genuerat, Thessalonicensibus parvulus fieri maluit, quam eis cum terrore aliquo & maiestate præesse: *cum possemus. ait, vobis oneri esse, ut Christi Apostoli: sed facti sumus parvuli.* q.d. juxta græcam versionem: poteram vobis in pondere & autoritate præesse; sed malui esse parvulus, & cum balbutientibus de Deitate & Humanitate Christi balbutire. Balbutit ac lallat ex cathedra præsepioli eandem hanc deitatem suam ac humanitatem parvificatam ipsemet Christus, & vel tacendo ac jacendo profitetur: *Filius hominum quicquid terrigena simul in unum dives & pauper: en ego cum possem vobis oneri ac rigori esse, cum possem ad vos in virginerra, in virtute multa ac potestate venire utpote non rapinam arbitratus esse me aequalem Deo;* sed factus sum parvulus & quasi unus ex vobis, ut & vostales efficiamini qualis ego nunc sum. Confirmat id ipsum Bernardus ita nos adhortans: *Studeamus effici sicut iste parvulus, ne magnus Deus sine causa factus sit homo parvulus & puer: quia nisi efficiamini sicut parvulus iste, & ut parvuli humiliemini, non intrabitis in regnum cælorum.* Parvuli non quidem sensibus, sed malitia, parvuli simplices & prudentes, non altas apientes, sed humilibus consentientes, quasi modo geniti infantes, sed magna cogitantes. Paradoxa equidem hæc, sibique repugnantia viden-

1. Thess. 2.

Psal. 48.

Psal. 2.

Matth. 25.

Bern. serm.

sup. Missus.

Matth. 18.

Rom. 8.

2. Pet. 2.

Consideratio I.

7

dentur. Quis enim infantem ratiocinantem, intelligentem, prudenter consulentem & de magnis rebus cogitantem nisi supernaturali modo aliquando vidit. Parvulus est, qui, teste saepius citato mellifluo Doctore, nescit quid sit inter dextram & sinistram, id est inter bonum & malum: parvulus est qui factos manducos ceu animata monstra formidat: parvulus est, qui praetiosaq; vilissimis postponit; qui crepundia praet auratis torquibus; arundines longas praet generosis Bucephalis; nuces & fractas testulas praet argenteis vasis; domunculas luteas praet magnis palatiis eligit: parvulus est, qui de nullo erubescit, qui se ab injuriis tutari nescit, qui pericula non praecaver, damna non sentit: parvuli sunt, ait D. Hilarius, qui proximo velle malum nesciunt, curam opum negligunt: non insolescunt, non oderunt, non mentiuntur, dietis credunt & quod audiunt verum habent. Hac ferè parvolorum sive vitia sive virtutes sunt: sed vitia absq; culpa, virtutes absq; merito; Illa ex sensuum & organorum imperfectione provenientia: haec ex naturæ innocentis bonitate. Illa repudiare jubemur, dum non emur: Nolite pueri effici sensibus; has amplecti, cum dicitur: Malitia parvuli estote. Videte mihi nunc planè diuinam parvuli nostri sapientiam, videte rationalem infantiam Bethleemitici magistri. Veniens in mundum poterat nasci in urbe metropoli Iudeæ; Bethleem parvam præelegit nativitatem, Jerusalem passioni: poterat divertere ad palatium; maluit ad stabulum: poterat reclinari in cunis argenteis ac gemmeis; maluit in ligneo rudiq; præsepio: poterat cubare in colorinis pulvinis, maluit super hispidum fænum: poterat habere auro illitas fascias; maluit grossulos pannos: poterat habere nobiles aulæ ministros; maluit bovem & asinum jumenta. O quanta ista est sapientia! & talis quidem sapientia, quam animalis homo non percipit; immo quæ abscondita est à sapientibus & prudentibus hujus mundi, quam quia non percipiunt, stultitiam arbitrantur velut cæci de colore judicantes. Quid enim Bern. ser. 3.
de nativit.
Dom.
Hilarius
comment.
in Matth.
can. 18.
1. Cor. 14.
1. Cor. 14.
1. Cor. 2.
Matth. 11.

enim ? occlamitant : paupertasne opibus anteferatur , quam
natura ut grande malum remis velisque fugit , ejusque fugi-
tandæ gratiâ *Impiger extremos currit mercator ad Indos* , quæ
& vitiorum omnium mater est ; nam teste Philosopho : *Im-
possibile est indigentem operari bona*. Aurumne scrutis post-
ponendum , quod jam à principio mundus totus maximi fecit ,
cui obediunt omnia ; quod qui habuerit ille

Horat.
Arist. l. 1.
Ethic.

Horat. ser.
l. 2. sat. 3.

*Clarus erit, fortis, justus, sapiens etiam Rex
Et quidquid volet?*

Contemptusne honoribus potior , quando in hoc potissimum
à brutis differimus , ut animum nostrum , qui divinæ quædam
particula auræ est in sublime erigamus : qui demissi in obscuro

Aristot. l. 4.
Ethic.

Arist. l. 1.
Rhetic.
c. 6.

vitam agere , quām in honore vivere malunt , jumentis quām
hominibus propiores censendi sunt. *Bonorum externorum
maximum gloriam putavit Aristoteles* , qui & pronunciavit :
*Honor & gloria suæ naturæ grata jucundæ, sunt , & ad
utilitatem quoque maximè valent.* Hæc inter sibi tam con-
traria dictamina ac dogmata alterutrum magistrorum errare
necessæ est , scilicet aut Deum aut mundum , quemadmodum

Bern. ser. 3.
in natali
Domini

ingeniosè observavit sèpius hic citatus *Claræ vallensis docto-*
Nasciturus DEI Filius, cuius in arbitriis erat, quodcumque vellet,
elgere tempus, elegit quod molestius est præsertim parvulo, &
pauperis matris filio, qua vix pannos haberet ad involvendum,
præsepe ad reclinandum. Et post pauca : *Non est tale judici-*
um mundi. Aut iste fallitur , aut mundus errat . Sed divi-
nam falli impossibile est sapientiam . Fallitur proinde carnis
prudentia ; siquidem & ipsa inimica est Deo , & seculi quoque
prudentia stultitia nominatur . Quid enim ? *Christus utiq.,*
qui non fallitur , elegit quod carni molestius est. Id ergo
melius, id utilius, id potius eligendum, & quisquis alind doceat,
vel suadeat , ab eo , tanquam à seductore cavendum. Et hoc
est , quod ipsamet sapientia per sui sapientis os clamitat : *Uf-*
quequo parvuli diligitis infantiam ? vel, ut sonantius Aben
Ezra :

Prov. 1.

Consideratio I.

Ezra : Usquequo simplices seducti ab impostoribus diligitis iu-
fantiam, vel ut hebræus, parvitatem? q.d. Usquequo parvuli
vultis esse & manere semper parvuli sensibus? usquequo infan-
tes non vultis avelli ab infantia & nugis infantilibus? usquequo
simplices non excutitis vestram simplicitatem, dum per frau-
dulentis mundi ejusque asseclarum laetationes, & versutias sini-
tis vos decipi, ac in fraudem & ruinam instar puerorum indu-
ci, ut fluxas & caducas opes, inanes honorum bullas Christi
paupertati & humilitati anteponatis? *Pretiosiores* *siquidem*, Bern. in vi-
(pergit Bernardus noster) *sunt panni Salvatoris omni purpurâ*, gil. natal.
& gloriosius præsepe auratis Regum solis; *ditior deniq. Christi* Domini
paupertas cunctis opibus cunctisque thesauris seculi. *Quid e-*
nim humilitate ditius, quid preciosius invenitur, quâ nimirum
regnum calorum emitur & divina gratia acquiritur.

V. Propheta regius cum in persona parvuli Filii DEI
psallisset: *Dominus dixit ad me; Filius meus es tu: ego ho-* *Psal. 8.*
die genui te; mox ad reges & potentes hujus mundi con-
versus eos ita hortatur: *Et nunc reges intelligite; erudimi-*
ni qui judicatis terram: apprehendite disciplinam, vel, ut he-
bræa lectio habet: *osculamini Filium.* Quasi vellet hac sua pa-
rænesi dicere: vos, qui in hoc mundo magni esse ac vidéri vul-
tis, quique orbem quodammodo portatis intelligite, id est, di-
scite non superbire, non extolli & altum sapere, sed quanto
majores estis, vosmet humiliare cum nemo verè magnus co-
ram DEO, nisi in oculis suis parvus fuerit. Talis in sacra Re-
gum historia prædicatur primus Israëlitici populi Rex, Davi-
disque antecessor Saul, qui cum alias staturâ corporis grandis
& instar gigantis esset *super omnem populum ab humero & sur-* *1. Reg. 9.*
sum eminens, tamen ob suam innocentiam animique demis-
sionem filius anniculus appellatur: *Filius unius anni erat Saul* *1. Reg. 13.*
cum regnare cepisset; vel, ut Chaldæus legit: *Sicut filius unius*
anni, in quo non sunt culpe, erat Saul quando regnavit. Ta-
lem semetipsum prædicat David dicens: *Ego autem adhuc de-* *2. Reg. 3.*
licatus

licitus & unctus Rex. Et de Salomone sapientissimo filio suo,
Salomon, inquit, *filius meus puer parvulus est & delicatus*. Maturæ jam ætatis & ad suscipiendum imperium aptæ erat Jo-
 sue, cùm de illo dicitur: *Josue, filius Nun, puer, non recedebat
 de tabernaculo*; ubi non puerilis ætas exprimitur, sed puerilis
 ejus integritas commendatur. Summus Patriarcha Abra-
 ham centum uno minùs annos habebat, & ipse etiam tum
 pueri appellatione à Domino honoratur: *Num celare potero
 Abraham, qua gesturus sum? seu, ut habent septuaginta in six-
 tiana: non abscondam ab Abraham, puer meo, qua ego facio.*
Amb. l. i. In quem locum ità D. Ambrosius: *Officiis meritò puer dicitur,
 qui senile nesciebat fastidium; pueritia innocentiam & obse-
 quium deferebat.* De Orientis Principe Jobo divina prædi-
 cat Scriptura: *Erat vir ille magnus inter omnes Orientales; qui
 tamen jam propè centenarius non dubitavit se pupillum ap-
 pellare: Super pupillum irruitio; ubi pupillum se vocat non so-
 lum quia bonis omnibus spoliatus erat; sed etiam quia consti-
 tutus in puerili ætate videbatur: ac si innocentia & humilitate,
 quam gerebat, senilem ætatem in puerilem revocaret. Quan-
 ta non de Messia futura magnitudine, potentia, gloria, opib-
 us, potestate ac imperio prænuntiabantur à Prophetis. *Ve-*
Malach. 3. *niet Dominator Dominus & Regnum ipsius omnibus dominabitur.* *Coram illo procident Aethiopes & adorabunt eum omnes
 Reges terra, omnes Gentes servient ei, quia liberabit populum
 suum.* Ipse quoque Archangelus conceptum ejus sanctissimæ
 Virginis MARIAE annuntians: *Erit, inquit, magnus.* At ecce
 idem divinus nuntius evangelizans posthæc ejusdem Nativita-
 tem Bethleemiticis pastoribus: (*Evangelizo vobis gaudium
 magnum: quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus
 Dominus*) pro signo distinctivo unde dignoscias eis posset, al-
 legat pauperem ejus infantiam: *Et hoc vobis signum: inve-
 niens infantem pannis involutum.* Si fidem de Salvatore ar-
 struere volebat, dicere judicio mundi debebat: *Hoc vobis
 signum**

**I. Paralip.
 22.**

Exod. 33.

Gen. 18.

**Ambr. l. i.
 de Abrali.
 c. 6.**

Job. 1.

Job. 6.

Malach. 3.

Psal. 102.

Psal. 71.

Luc. 1.

Luc. 2.

signum: invenietis virum in excelsô throno sedentem, aureâ
 redimitum coronâ, vestitum purpurâ regiôque ornatu insi-
 gnem: nihil horum dixit sed: *Invenietis infantem*. Quid est
 hoc, bone Angele, quod nuntias? *Num salvare nos poterit iste?*
Iste tam parvus universum & tam magnum Israëlis populum? ^{1. Reg. 10.}
tam debilis, tam fortes? ^{Gregor.} *Iste 2. Reg. 23. Tenerrimus ligni ver-*
miculus? ^{Iai. 42.} *Iste Psalm. 39. Pauper & mendicus,* cui non jam in
 palatio, sed nec in diversorio locus est? *Iste, qui nè calamum* ^{August. ep.}
quassatum, taceo hostes armatos valet confringere? *Salvabit*
 nè dubitate: nam licet sit infans, est tamen DEUS: *DEUS* ^{3. ad Volu-}
 autem, quod ait Hipponensis Doctor, *non mole, sed virtute* ^{sian.}
magnus est. Fulgent. ser. 5. Epiphan. *Parvus in præsepio, im-*
mensus in celo: viles in pannis, pretiosus in stellis. Sit licet
 sicut tenerrimus ligni vermiculus; tamen non tantum occi-
 gentos interficiet impetu uno, sed ipsum principem mundi &
 fortē armatum debellabit, *universa arma ejus auferet, in* ^{2. Reg. 24.} ^{Luc. II.}
quibus confidebat, & spolia ejus distribuet. *Transcamus usque*
Bethleem (dicebant Pastores ad invicem) *& videamus hoc*
verbum, quod factum est, quod Dominus ostendit nobis. Abie-
 runt & venerunt festinantes, tantæ reuinovitate perciti pedi-
 bus eorum alas addente videndi desiderio & invenerunt in-
 fantem positum in præsepio. *O felicem inventionem!* exclama-
 mat nonnemo. Si felix est, qui pretiosam reperit margari-
 tam, qui aurum & thesaurum invenit: quantò feliores hi
 pastores, qui talem invenerunt infantem, in quo sunt omnes ^{Coloss. 2.}
 thesauri divitiarum absconditi: invenerunt preium totius
 mundi: *Invenerunt, ut loquitur D. Hieronymus, agnum Dei,* ^{Hieron.}
 puro, mundissimo, ac plus quam aureo, vellere, quod in aridita- ^{ep. 27.}
 te totius terra cœlesti rore complutum fuerat: invenerunt to-
 tius cœli delicium: invenerunt totius humani generis amo-
 rem & desiderium: invenerunt speciosum forma præ filii ho-
 minum; verbô, quem scriptis Moyses in lege & Prophetæ, in- ^{Joan. 1.}
 venerunt Messiam, invenerunt JESU M Salvatorem. Quid
 ultra

Instit. l. 2.
tit. 1. de re-
rum divisi.

Math. 2.

Exodi 13.
& alibi.
Isa. 66.
Isa. 28.

Cyrill.
Ambros. in
Ps. 118.

Cantic. 3.

Cantic. 5.

ultra expeditis pastores non jam pauperculi, sed opulentissimi: nam thesaurus, quem invenistis, vester est juxta tit. 1. lib. 2. Instit. Vester est hic infans, vester hic parvulus, vester hic Salvator, secundum quod audistis ab Angelo: *Natus est vobis hodie Salvator.* At non irà vobis illuni vendicate, ut soli possidere velitis; non enim vobis Judæis duntaxat, sed & nobis natus est, nobis, inquam, qui ex gentibus credidimus in nomine ejus. Invenerunt Judæi infantem: invenerunt & Magi, qui ab Oriente venerunt, primitiæ gentium: & illi quidem infantem, hi invenerunt puerum: *Invenerunt puerum cum MARIAM matre ejus.* Quomodo, amabò, hi puerum, illi infantem? nunquid quatuordecim dierum spatio tantum excretit, ut jam non infans, sed puer diceretur? siquidem pueros dicimus, qui ab uberibus ablactati jam fari & loqui incipiunt. An forte Judæis infantem ostendi oportebat, qui & ipsi infantes lactique assueti erant? Sæpius enim illis à Deo promittebatur: *Dabo vobis terram fluentem lacte & melle.* Et: *Ad ubera portabimini.* Gentibus verò puer datus est, de quibus idem Isaías: *Quem docebit (DEUS) scientiam, & quem intelligere faciet auditum?* ablactatos à lacte, avulso ab uberibus. Quem locum de ablactatione à lege veteri intelligunt SS. Cyrillus & Ambrosius. Quidquid sit parvulus iste omnium est; sed eorum vel maximè, qui eum ardenter diligunt, diligendo querunt, querendo inveniunt. Sic eum querebat summo illius desiderio flagrans sacerrima sponsa clamans ac iterans: *Quaram quem diligit anima mea.* At milera post longam indaginem, post longos cursus & recursus, post subita & pericula, acceptaque etiam verbera, quem querebat, non invenit: *Quæsivi, querulatur, & non inveni illum: vocavi & non respondit mihi.* Invenerunt me vigiles qui circumdeunt civitatē: percusserunt me & vulneraverunt me. Quid est cur non inveneris, ô amatrix fervida? quid est quòd verbera & vulnera retuleris? nisi, quia ubi minimè erat, eum quæsivisti? quæsivisti in lectu-

lo florido ; quæsivisti in domo cedrina: (*lectulus noster floridus, tigna domorum nostrarum cedrina*) quæsivisti in civitate : Cant. 1.
 quæsivisti per vicos & plateas , & non memineras de eo scri- Cant. 3.
 ptum: *Non clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem* Matth. 12.
eius? Et: *In propria venit & sui eum non receperunt.* Egredere Joan. 1.
 de civitate , egredere extra portas, egredere in agrum , & illic
 thesaurum tuum absconditum invenies. Paret monitis, egre-
 ditur jam tota anhela & partim è cursu , partim è vulnere lassa
 denuo occlamans: *Quis mihi det te fratrem meum fugentem* Cant. 8.
übera matris, ut inveniam te foris & deosculer te? Factum
 bonum ! Vix egressa , & quem quærebat , invenit. *Paululum,* Cant. 3.
 inquit, *cum pertransissim eos (custodes portarum ac muro- rūm civitatis) inveni, quem diligit anima mea; tenui eum, nec*
dimittam. O tene ac stringe ! Stringe arctissimo amoris ne-
 xu : *Pone, ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super*
brachium tuum: amplexare & mille suaviis dissuavia, atq; ad
 imprimenda oscula tota optes os fieri, tota cor ad amandum
 parvulum hunc Amorem tuum.

VI. Et nos NN. relictis gregibus curarum secularium
 transeamus cum pastoribus & ipso in Bethleem: relicto fori
 strepitu egrediamur cum sponsa foras extra civitatem, & vi-
 deamus hoc verbum quod factum est. Bethleem nostra tem-
 pla DEI & Ecclesiae sunt; verè domus panis , & panis Angelici. Hic in angusto altaris tabernaculo , eeu in obscura spelunca , in parva pyxide ceu in quodam præsepiolo jacet & cubat
 idem hic diuinus Amor parvulus & omnino ad punctum spe-
 cierum sacrarum contractus. Hic nobis ejus gerulas licet
 agere , & non solum inter brachia, sed intra ipsa viscera gesta-
 re. Teneamus illum , nec dimittamus vel ad momentum:
 dum enim sic eum habuerimus & per gratiam Sacmenta-
 lem cum eo conjuncti fuerimus , non erit quod fornidemus,
 non erit qui nobis nocere possit.

Habent hoc singulare gerulae, cum eas seu pater iratus , seu

quis alius furore percitus ferire ac percutere contendit, cùm gladium aut fultem aut scuticam minitabundus intentat, sui defendendi causâ veluti pro unibone & clypeo infantem, quem ulnis gestant, percussori objicere; quo viso etiam effratisima pectora protinus mitescunt; nemo enim facilè tam efferus est, qui innocentem pupulum pro gerula feriat. Nimirum sicut *gratia parvis comes est*, ut ait D. Gregorius Nazianzenus; ita facile etiam aliis gratiam impetrant, & quovis oratore vel sola sui ostensione facundiūs perorantes; ad commiserandum etiam ferocia corda demulcent.

Rader. aula
Sancta The-
odosii.

Obsidebat aliquando Henricus Imperator (ille quem hodie Ecclesia dupliceiter divum veneratur) Trojam Apuliae urbem, adeo graviter ei, nescio ob quam infensus offendam, ut jurârit se, ubi illam occupâisset, ne quidem imbelli ætati parsurum. Trepidare incolæ, plorare matres, lamentisque, & femineo ululatu tota civitas personare: nec satis præsidii in muris, nec virium in viris, nec spei in irato Cæsare ad obtinendam gratiam reliquum esse. Prudentissimo itaque & felici matrum consilio parvulorum agmen ex urbe ad Cæsaris tentorium emittunt, qui sese coram sistentes partim balbutie sua, partim ploratu & lacrymis veniam tam pro se, quam pro parentibus precarentur. Efficax omnino fluxit oratio. Ad conspectum tam amabilium fæcialium veluti totidem cupidinum ferocia corda posuit Imperator, urbemque non tantum obsidione letifera aetutum exolvit; verum insuper favoribus Imperatoriis gratiosè impertivit. Judith. cap. 4. Holoferne Assyrii exercitus Duce Bethuliam obsidente, tremor & horror similiter invaserit sensus incolarum Judæorum, quid faciant in tanto discrimine constituti & à tam potente adversario circumdati? Clamavit, inquit sacer historicus, omnis populus ad Dominum instantiā magnâ, & humiliaverunt animas suas in jejuniis & orationibus ipsi & mulieres eorum. Et induerunt se Sacerdotes ciliciis, & infantes prostraverunt contra faciem templi Domini,

ni, ut videlicet (quod ait Ugo Cardinalis) Deus tanto facilius Ugo in Jano moveretur pietate super infantium afflictione. Quid quod dich. 4. ipsa bruta elementa & in omnes absque discrimine, dum semel furere incipiunt, grassari assueta objectu parvolorum quandoque mitescunt? Scribit antiquitatum patriarum & sacrarum præcipue solertissimus vindex Bohuslaus Balbinus in Diva Virgine Wartensi ex pervertustis Silesia Scriptoribus: A.

1598. 24. Augusti cum Wartensis Diva Camencii hospitare-
tur, Nissa furiosum & infidum flumen adeo partim immodi-
cis imbribus, partim occulta vi siderum increvit, ut Glacium
ipsum aquis obsideret, & minaretur extrema. 16. Augusti me-
dia nocte Glacium pene occupavit quinque domibus cum so-
lo raptis, centum quadraginta fœdum in morem laceratis ac
direptis, pontem lapideum alterum dejecit, decimque dies re-
nuit ea fluminis tempestas, hæc Glaci. Nec Wartæ (quam
idem fluvius infrà alluit) se ipso minor visus est: domos, ut me-
mores etiamnum Haagenses mihi ostenderunt, medias hausit,
innumerisq; damnis atfecit. Sed longè major calamitas War-
tam manebat: die enim 24. Augusti cùm detumescere Nissa
speraretur, grandiore malo Warta decubuit. Dixi altissimum
montem oppido incumbere, hic alluvione Nissæ concussus,
aut quoconque alio occulto motu forte etiam senectute (quâ
nihil vel in ipsa saxa potentius: *Mors etenim axis marmori-
busque venit*) sed, ut dixi, labefactatus mons & aquarum fu-
riofo impetu concussus aperto ingenti hiatu maxima sui parte
in Nissæ alveum, Wartamque subjectam fese præcipitavit
sem totumque oppidum mersurus videretur. Nam cùm Nis-
sa torus in has Wartæ angustias subeat, exitu negato continuis
aquarum incrementis eo periculi excreverat, ut quò se verte-
rent aquæ, super oppidum quasi deliberarent. Non deseruere
fese Wartenses, in arena inò in aqua capto consilio, cum hu-
mana omnia auxilia cessarent, ad divinam opem certatim

P. Boh. Bal-
binus l. 1.
c. 6. §. 5.

(ut-

(ut pote Catholici) conversi sunt; Praebat in verba Matthæus ex Crucigeris Glacensibus Canonicus, qui tum Wartæ sacra ritu Catholico administrabat, illi divinæ iræ parvulos liberos & Virginis Matris antiquam dilectamque sedem objecerunt. Ubi res mira dietu! Cum tres horæ quadrantes aquæ pependissent, & divinitus, nè nocere possent, tenerentur; subito novo itinere facto, non in oppidum, quod primum erat (nè quâ homines aut pecora haurirentur) sed innoxie post oppidum abiâre, flexu deinde modicè curvato veterem alveum invenire, priores fluctus in Silesiam securæ. Et sic Virginis ope, & parvulorum objectu Warta servata est.

Exod. 2.

Gen. 19.

1. Joan. 2.

Psal. 57.

Ex ardescit in nos identidem Pater cœlestis, arma sui furoris in nos contorquet, plagas intentat, & torrentes iræ suæ super capita nostra inundare facit. Quid consultius, quid salubrius in illa tam horribili tempestate, quam divinissimum hodiernum parvulum illum speciosum figuratum Moysen *in fiscella scirpea* furentibus fluctibus objicere? Non poterunt non commoveri viscera quantumvis justè irati Patris super filio suo: non poterit non extentam retrahere manum, non recondere gladium, quem vibrârat, non cohibere fluctus & avertere indignationem suam à nobis. Si enim propter iustum Lot, quam diu morabatur in Sodomis sceleratissimis illis incolis non potuit nocere: (*non potero facere quidquam, donec ingrediaris in Segor*) quomodo nocere poterit nobis, dum tallem pro nobis habemus advocationem: (*Si quis peccaverit, ad vocatum habemus apud Patrem JEsum Christum justum.*) Perorat ejus infantia, perorat iuditas, perorat stabulum, perorat præsepe, perorat foenum, perorant panni, perorat tenerimum corpusculum, perorant lacrymabundi oculi, perorat amabilis vultus, omnia denique membra perorant: Pater ignosce, ignosce populo tuo, ignosce insipientibus, qui velut parvuli non intellexerunt, sed erraverunt ab utero, locutis sunt falsa. Ne quæso furor iræ tuæ comprehendat eos, sed respice in

in faciem Christi tui, & vide, quia ego sum unicus ille filius tuus,
qui hanc parvuli formam ideo assumpsi, ut illis misericordiam
in oculis tuis invenirem. Atque hoc est, quod ait mellifluus
Bernardus: *Propterea parvulus venit, ut misericordiam pre-*

Bern. ser. 1.
de natali
Domini.

rogaret, & futurum in fine judicium præcurrrens, misericordiam
temperaret. Licet enim parvulus ad nos venerit; non parum
tamen attulit, non parum contulit nobis. Si queris, quid attu-
lit? primò omnium attulit misericordiam, secundum quam, te-
ste Apostolo, salvos nos fecit.

Hanc itaque misericordiam vel potius misericordias Domini in eternum cantemus atque voce concordi Domino canamus dulciter hymnos, hymnos laudis & gratiarum actionis pro tam ineffabili charitate qua sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum nobis daret, cuius deliciae sunt esse cum filiis hominum. Hunc osculemur, hunc Magistrum sequamur, hujus disciplinam apprehendamus, post eum suspiremus cum pia quadam & religiosa Virgine Victoria:

O JESU mi dulec! Amor nil diligo pra te:
Tutotus meus es, mens mea tota tua est.

DIES II. INFRA OCTAVAM NATIVITATIS DOMINI.

Consideratio II.

Jesulus nascens Amorvagiens
seu plorans.

Primam vocem similem omnibus emisi
plorans. Sap. 7.

I.

S I & in fabulis docta non raro latet veritas, non vanè fabu-
lati sunt, qui finxerunt, in plasmatione hominis à Pro-
metheo facta, lacrymas loco aquæ ad compingendum
C lutum

Stob. tract.
de mode-
rat. affect.

lutum (unde homo formatus) adhibitas, indeque dolorem & fletum esse homini propria usque adeo, ut à lacrymis abstine-re nequeat, nisi cum in pristinum pulverem denuò redigetur.

Cum primùm lucem aspicere incipit ex uteri materni elucta-

Tertull. I. 7
de anima

cap. 9.

Arist. I. 7.

Polit. c. 17.

tus angustiis vitam vagitu & ploratu salutat, ut ait Tertullia-nus, non tam ad vocis exercitium, & ad corpus roboran-dum, quod docet Avicenna cum Aristotele, quam ob magnam mu-

tationem, dum scilicet ex utero molli & calido ad terram du-

ram & aërem frigidum nudus transit à tenebris item & somno

ad insolentem lucem & vigiliam, quibus omnibus percussus

dolens vagit, jámque tum, teste D. Augustino, præsentit, præ-

August. I.

21. civit.

cap. 14.

sagitt & quasi nesciens prophetat mille vitae ærumnas sibi sub-

eundas, quas deplorat. Unde Lucretius:

*Vagitque locum lugubri complet, ut aquum est,
Cui tantum in vita restat transire malorum.*

Quod expendens naturæ scrutator Plinius, naturam ipsam

Plin. pro-
em. libri 7.
velut novercam incusat & queritur: Hominem tantum nu-

dum, inquiens, & in nuda humo natali die abicit ad vagitus

statim & ploratum, nullumque tot animalium aliud ad lacry-

mas & has protinus vita principio damnatur, flens animal o-

nibus imperaturum; additque non fari, non ingredi, non

vesci: brevitérque hominem scire nihil sine doctrina, non aliud

naturæ sponte, quam flere. Hoc veri hominis indicium, hæc no-

Solin. I. 1.
mirabil.

mundi c. 3.

ta distinctiva est: nam quod Zoroaster in ortu suo riserit, jam

cum promalo omni acceptum fuerat, fore eum videlicet dœ-

moni quam homini similiorem, & magicæ artis inventorem,

uti revera fuit. Rechè proinde Augustus Imperator, dum ab

adulatoribus DEUS diceretur, lacrymantibus niscebatur se, ut

homo videretur; solebat enim aliquando inter Horatium

& Virgilium sedere, ac interrogantibus quidnam ageret (cum

Horatius oculorum vitio lacrymas in oculis haberet, Virgilius

verò suspirabundus naturaliter esset) respondisse: *Sedeo inter*

lacrymas & suspiria, ut mortalis siam. Augustissimus DEI

Filius

Sabellic.

vix.

Filius & cœli terræque modimperator cum informa Dei esset ^{Philip. 3:}
non rapinam arbitratus esse se aequalē Deo, vellēque mor-
talitatis nostræ conditionem experiri nobisque per omnia si-
milis fieri à lacrymis & ipse ac vagitu humanæ vitæ sumpsic
principium, primāmque, quod Salomon de se profitetur, simi-
lem omnibus vocem emisit plorans. Profitetur idem Ecclesia
Catholica in hymno Fortunati ita canens:

*Quando venit ergo sacri
Plenitudo temporis,
Missus est ab arce Patris
Natus orbis conditor;
Atque ventre virginali
Carne amictus prodiit.
Vagit infans inter arcta
Conditus præsepia.*

De hoc amabili ejus vagitu dulcissimisque lacrymulis præsen-
tem considerationem instituemus, & in earum causam, effe-
ctum ac pretium piè ac tenerè inquiremus.

II. Et ecce prior ante nos in eas inquisivit dulcifluus Bern-
ardus, qui postquam illas cum lacrymis nostratum infan-
tium proprias ærumnas deflentium contulisset, subdit: *Plorat Bern. ser. 3.*
Christus, sed non sicut ceteri, aut certè non quare ceteri solent. ^{in natali}
In aliis sensus in Christo prævalebat affectus. ^{Domini.} *Patinentur illi,*
non agunt utpote nec ipsius adhuc usum voluntatis habentes.
Illi ex passione lugent, Christus ex compassione. Fuerant itaque
illæ parvuli JESÙ lacrymulæ non propriæ infirmitatis ac im-
becillitatis, sed calentissimi testes amoris. Nullo enim effica-
ciore testimonio quam lacrymis amor declarat sese, ut bene
cecinit Poëta:

*Express & tacitum lacryma testantur amorem
Gignit amor lacrymas, (quis putet?) ignis aquas.* ^{Oven. ix} ^{Epigt.}

Sic genuit & prolicuit ex oculis intimè sese amantium Da-
vidis ac Jonathæ, qui, cum inter supremum vale mutuis com-

plexibus & osculis calentissimi amoris reciprocarent incendia,
 1. Reg. 20. in lacrymarum resolvebantur imbræ: *Osculantes se alterum fleverunt pariter. Sic & Joseph Patriarcha cùm fratres suos & præsertim charissimum sibi Benjamin coram sese, stantes;* Non se poterat cohibere à lacrymis, elevavitque vocem cum fletu, quam audierunt Ægyptii omnisque domus Pharaonis: *osculatusque est Joseph omnes fratres suos & ploravit super singulos.* addit porrò scriptura: *Postracausi sunt loqui ei.* Quasi diceret: non ausos loqui, dum coram eo, ut Prorege Ægypti starent; quin potius metu tantum non exanimati ad præsentiam tantæ Majestatis obmutuerunt & vox fauibus hæsit. Exhibuerat quidem illis non levia fraterni amoris officia, quando frumentum, quod coemptum advenerant, gratis omnino in tanta annona caritate suppeditavit, pretio omni illis restituto & pecunia in ore facci uniuscujusque reposita: sed suspecta illis erant omnia subimentibus, nè forte non tam gratificandi, quam eos vexandi & nocendi studio fierent: ubi verò super se plorantem viderunt, tunc primùm fratrem agnoverunt, tunc ausi sunt loqui ei.

Hugo Car-
din. h.l. Hugo Cardinalis per pulchrum h̄ic mysterium observat, dum ait, ante Incarnationem homines non fuisse ausos loqui ad Deum, sed postquam factus est homo & plorare cœpit, securum habent ad eum accessum.

Lachrymae
Christi vo-
ces.

Ovid. lib.
de Ponto.

III. Interdum & lacrymae pondera votis habent, canebat ille. Pondera voeis habent, amantes hæc divinissimi Infantis lacrymae facundaque oratione nos quasi sic alloquuntur: ego sum frater vester Joseph ô mortales, qui me haec tenus timebatis toruantem ac fulminantem, nè timete modò vagientem ac super vos plorantem: quin potius accedite ad me & approximate, necessitates vestras proponite, familiares mecum sermones miscete; ego sum frater vester Joseph, qui in hanc Bethlehem in dominum panis ideo veni ac missus sum, ut vobis frumentum electorum conservarem ac ministrarem, nè fame omnino peri-

p̄eriretis; hæ, in quam sunt Christi nati & lacrymantis ad nos Sunt Ma-
 vores: quid dico vores? Musicam dulcissimam debebam di-
 cere; nam interduim & lacrymæ pondera musicæ habent. Sic
 divinus ille sponsus, cùm precantis Ecclesiæ gemitus audiebat,
 audire sibi concentus videbatur: *Tempus, inquit, plorationis* Cant. 2.
advenit. Ex hebræo legi potest: Tempus plorationis, seu tem-
pus cantationis: quasi non sit aliud plorare pro DEO, quam
cantare. Quod expertus & David: Confitebor, inquit, tibi Do-
mine in gentibus & nomini tuo cantabo. Sic enim habetur 2.
 Reg. 22. quamvis paulò aliter habeatur Ps. 17. qui eo Regum
 loco refertur. Sed ex Hebræo legi potest pro cantabo, lacry-
 mabo, quasi unum idemque esset coram Deo & propter Deum
 lacrymari & cantare. Et S. Augustinus ait: *Dulciores sunt August. in*
lacryma orantium, quam gaudia theatrorum. Si hominum, Ps. 127.
si penitentium, quanto magis lacrymæ innocentissimi par-
vuli DEI pro humano genere orantis ac deprecantis. So-
niant illæ quavis Threicia cithara & Apollinea lyra dulcius, so-
lennique illud infantum A A seu potius V a V a non ad dolorem
& compassionem sed ad cordis triplum occantant. Not-
tat Lyranus, Lorinus, Pineda & alii masculos dum nascuntur
vagiendo vagitum auspicari ab A, quæ est prima litera nominis
Adæ protoplasti: fœminis ab E, quæ est prima nominis
Evæ, quasi de eorum lapsu quiritentur. Priscis verò Latinis
infantes vagiendo V a sonare videbantur, unde per Onomato-
*peiam *vagire* dicti sunt, ac Vagitanus (qui & levi nominis*
*flexu Vaticanus dictus est) Deus, ut iis auxilio esset, implora-
 batur, ait Varro. Non quiritatur, non alienum auxilium im-
 plorat infans noster clamando A & Va utpote non indigens Act. 17.
 aliquo, cùm ipse de omnibus vitam & inspirationem & omnia:
 verū hoc unicè auribus nostris insonat: Ecce ego Vester
 Adam quomodo Vos adamo! Vulgare diverbum est: *Amor*
musicam docet. Docet sanè tum vel maximè, cùm lacrymas
*prolicet. Quid enim lacrymis amantium suavius? quid ad**

22 Diei II. infra Octavam Nativitatis Domini,

permovenda pectora potentius? quid earum concētu Divinū? Concentum cœli merito dixerimus JESULI lacrymulas & planè divinam accœlestem musicam. Si enim, ut quidam arbitrantur, cœlestes orbes cœlīque oculi astra ex mutuo collisu ac motu suavissimam edunt harmoniam; quidni oculi JESULI non jam *vino*, quales Judæ Patriarchæ, sed astris ipsis pulchriores? Commentum quidem Mahometis ridiculum est, Deum quotidie semel flere, ejusque lacrymas esse eas stellas, quæ de cœlo labi videntur. Ast dum ego DEUM hodie flentem video, commenta me minimè dicere putaro, si tot ab ejus oculis labi dixero stellulas, quot lacrymarum guttulas. Si enim, teste D. Ambrosio, *habet hoc vis summi doloris: ut cum lacrymis oculi quodammodo ipsis videantur descendere; eò quòd tantavis lacrymarum sit, ut putentur oculi inflatus resolvi, & in lacrymas effundi; quantò magis vis amoris: qui uti per oculos in amantem intrat, ita per eosdem & cum illis in amatum exit.* Quòd si Galatarum tantus fuit in Paulum amor, ut oculos suos eruissent ac dedissent ei: quantò major est Filij DEI in homines! Non eruit ille, sed prorsus eliquat ocellos suos hodie in nos, quos dum unā cum lacrymis per genas ejus labi cernimus, nónne stellas labi videmus? Nam, ut recepto jam hymno in persona devotæ animæ canimus: *Si tua, JESULE, ac puer dilectissime, spectem lumina, hac duo astra sunt.* Grandis timor omnium corda concutiet, quando sub secundum Christi adventum stellæ cadent de cœlo, juxta illud Evangelicum: *Cum venerit Filius hominis in maiestate sua, &c. stellæ cadent de cœlo & virtutes cœlorum commovebuntur arescentibus hominibus præ timore, &c.* Nimirum non erunt lacrymæ illæ amantis, sed indignantis ac dolentis DEI, ideoque terribiles ac fervidæ & igneæ; docet siquidem Philosophus, lacrymas, quæ seu ab ira seu à dolore proficiscuntur, calidas esse ac ustivas; quæ verò ab amore lenes ac subfrigidas, in star pluviae ac roris irrigui, quo herbæ plantæ que fœcundantur. Nequaquam hic arescite, sed cre-

Gen. 49.

Bouchier.

Sunt stellæ
cœlō deci-
duæ.Ambr. ser.
17.

Galat. 4.

Matth. 24.

25.

Luc. 21.

Aristor.
Probl. 17.Sunt pluvia
& ros irri-
guus.

crescitem mortales : crescete & multiplicamini : hodiernæ aman-
tis DEI lacrymæ, cœlestis pluvia sunt, illéque desideratus ros,
quem expetabatis toties per tempus Adventus clamando:
Rorate cali. Quæ tam dura ac steriles erit terra, nè dicam pe-
tra, quam ros iste non irriget, non (ut Scripturæ phrasí utar)
infundat, non germinare faciat? Durissimus lapidum ada-
mas cum aliæ nullis malleorum ictibus comminui possit, hir-
ci emollitur sanguine: cujus nostrum tam adamantium erit
cor, quod non innocentissimi Agni JESULI emolliant lacry-
mæ, & in uberrimos seu pœnitentiaæ seu devotionis fructus
fœcundent? Famosa illa & dura primùm peccatrix, post fer-
vida amatrix, quia multum dilexit, multumque flevit, Christi
plantas semper aliæ ad beneficia vernantes reddidit vernan-
tiores. *Mysterio* siquidem non caret, (ait D. Chrysostomus) Chrysosto-
quod dicatur Magdalena *Luc. 7.* pedes Christi D. lacrymis ri-
gasse, non lavisse: quia, ut irrigatio terram fœcundat ad fru-
ges: ita illa lacrymarum profusio Christum D. ad misericordiam
excitabat. Poterant tantam fœcunditatem operari lacry-
mæ hominis in Deo ; quantam non operabuntur lacrymæ
DEI in homine! Unus pro multis documento sit Benedictus
Goës S. J. Coadjutor temporalis. Is etiamnum miles inter
Lusitanos, moribus, ut apud ejusmodi homines assolet, licen-
tioribus, in ora Travancoridis Indiæ Orientalis templum quo-
dam die cum commilitone subierat preces fusurus, commo-
dum ante imâginem Deiparæ Virginis flexerat genua, cum
nescio quâ pungi animum synteresi sentiens, DEI Matrem
cœpit ardenter quadam pietate obsecrare, quo fieret ipsi
apud Filium, ejus intercessione, peccatorum condonatio. Sub
hæc, mirum dictu! videt ille, videt & Sodalis, vident alii mul-
ti, quos ad spectaculum exciverant, vident, inquam, ex pueri
JESU inter Matris brachia hærentis oculis lacrymas, sed colo-
re lacteas, defluere, idque tam ubertim, ut multi strophia sua
prodigioso hoc liquore imbuta asportârint; ipse verò Benedi-
ctus

Ex annali-
bus Societ.
an. 1581.

79 ad po-
pul. sub init.

Etus meliorem deinceps militiam cogitavit, qui vexillis Iesu
in ejus Societate non diu post adscriptus, fidelem eidem operâ
in Mararense Regni per vestigatione navavit. In hac mirabili
visione illud cum primis mirari subit, cur lacrymæ JESULI non
uti cæterorum infantium aquei, sed lacteicoloris apparuerint.
In promptu sed enim causa est; margaritæ erant, quibus color
ille lacteus proprius ac nativus, margaritæ erant, non unius re-
gni, sed totius mundi premium exuperantes; id quod in alia vi-
sione: Venerabilis Marinæ de Escobar divinitus dicit. Ac-
cessit, scribit illa, ad me S. Patriarcha Joseph die natalitiorum
festorum anno 1622. imposuitque meo ori suis sanctis mani-
bus aliquid quasi me cibaret, quo suivalde confortata, & sic à
me discessit; Adfuit subito meus Angelus custos & extenderis
conjunctas manuum volas, dixit: Soror ejice huc, quod S. Pa-
triarcha imposuit tuo ori. Incepit ejicere & prodiverunt ex
me multæ gemmæ & lapides preciosi, perelegantes ac lucidi,
quiereleverunt manus S. Angeli, quosque ille recondidit in se
ipso. Dicebam intra me dubitans: quid hoc potest esse? Do-
minus autem mihi respondit; omnibus illis gemmis & lapidi-
bus preciosis significari merita lacrymarum, quas sanctissimus
infans JESUS profuderat in sua nativitate, & merita lacryma-
rum ex devotione & gaudio profusarum à SS. Virgine, quo-
rum me Dominus meritorum eodem tempore participem
reddiderat. Quis jam divitias, quis pulchritudinem, ac deco-
rem animæ tuæ fatis explicet ò Marina, quæ tot, tantis ac tali-
bus margaritis simul ditata & decorata est? Inestimabile decus
urbis Vindocinensis in Gallia relucet ex eo, quod vel unicam
Domini lacrymam, cimelium sanè preciosissimum intra se
etiamnum hodieque asservet: at quantum non erit decus ani-
mæ complures ejusmodi lacrymas intra se habere? Omnis
certè Cherubici illius Spiritus decor, cui Ezechielis capite 28.
dicitur: *Omnis lapis pretiosus operimentum ejus, umbra erit, si
cum lacrymarum istarum decore conferatur.*

Sunt Mar-
garitæ.

In vita lib.
2. cap. 27.
§. 1.

Loblet. de
vita & mor-
te c. 2. §. 2.

Ezech. 28.

IV. At quid mirum DEI lacrymas ita appretiari, quando & Morale.
 DEUS ipse nostras lacrymas pro margaritis habet, easque intra se recondit. Lacrymabatur die ac nocte, suisque lacrymis non strophia duntaxat, sed stratum suum rigabat pīc pōe-
 nitens Deūmque amans David, at quo operæ præcio? Posuit. Ps. 55.
Iti, inquit ad DEum, lacrymas meas in conspectu tuo. Sym-
 machus legit: *intra te.* Quasi non inferior locus, quām ater-
 ni Parentis sinus, illis lacrymis, cœu totidem margaritis conve-
 niens foret: neque enim DEUS, nisi quod pulchrum ac pre-
 tiosum est, intra semet recondere solet. Merito proinde hic
 D. Chrysostomus: *Quidnam, ait, dic oro oculis illis formosus*
perpetuo lacrymarum imbre & quasi margaritarum decore or- natis. Tales erant & lacryma filiæ Jephthæ, quæ antequam ad
 sacrificium DEO immolanda sisteretur, totum bimestre spa-
 tium flendo impendit: *Dimitte me, inquit ad Patrem, ut duo- bus mensibus circumeam montes & plangam virginitatem meam.* Quasi non placitura Deo, neque ejus clementiam exo-
 ratura, nisi propriis lacrymis, tanquam gratosissimis unio-
 nibus ac pigmentis reniteret. Quod planè fecit, interprete
 D. Chrysostomo homilia de Jephthe, in typum Ecclesiæ: *Nec enim, inquit, Ecclesia mittit ad Dominum, qui in ipsa proficiunt, nisi ex magna tribulatione, nisi ex planctu & fletu & lacrymis.* Lacrymae enim, ait idem alibi, pulchram ostendunt faciem: Unde sicut nemo ad Principem, nisi lota & decora facie; ita nemo ad Deum, nisi profusis lacrymis accedere debet. Sic eorum Sanctorum, qui ex magna tribulatione in conse-
 tum DEI veniunt, dicuntur abstergi lacrymae: *Absterget Apoc. 7.*
Deus omnem lacrymarum ab oculis eorum. Absterget nimis-
 rum, ut reponat in sudario & recondat in thesauris suis. Felicis lacrymae, exclamat Bernardus, quas benigna manus conditoris absterget, &c, ut gemmas, appreciabit. In his enim plane verificatur, quod Pierius ex Suida refert: Sominanti persuasum, margaritas genis inhærere, quas expperctus lacrymas colliquatas deprehendit.

D

V. In-

Chrysost.
hom. de
Jephthe.

Chrysost.
hom. 12. in
ep. ad Eph.

Bern. in
Declamat.

V. Inter alias extraordinarias DEI gratias, & ut vocamus, gratis datas, non minima est donum lacrymarum, quando anima tam copiosè divinis consolationibus afflit, ut ex in ipsum corpus redundantes illud alterent, tenerrimòsque erga Deum divinaque mysteria affectus excitando, velut si intra angusta cordis septa contineri non possent, per oculos, quasi quoddam distillatorium elipient, & non tantum, ut Poëta cecinit:

Est quadam fliere voluptas?

Sed maxima, qualis nec inter dulcisona organa & gaudia theatrorum oboritur. Expertus eam est igneus Augustinus, qui hoc lacrymarum donum instanter à D'Eo petierat & impetrarat. *Dam mihi (precatur) evidens signum amoris tui, irriguum lacrymarum fontem jugiter manantem; ut ipsa quoque lacryma tuum in me testentur amorem: ipsa prodant, ipsa loquantur, quantum te diligit anima mea.* Expertus est non minus flammeus Ignatius de Loyola Societatis IESu Parens, cui præ copia divinæ consolationis tam uberes, inter orandum præfertim & contemplandum defluebant lacrymæ, ut dicere potuerit cum Psalmista: *Exitus aquarum deduxerunt oculis meis vel, ut vertunt septuaginta: in exitus aquarum descendenterunt oculi mei; ut idcirco à medicis commonitus fuerit, temperaret à fletu, nè penitus oculis orbus cœcūsque reddetur.*

Expertæ est Peregrina Virgo apud Heroltum, cuius amanter lacrymantis guttæ videbantur quidem in subiectas genas ab oculis depluere; verum parvulus IESus illas, ita ut ab oculis adhuc calebant, manibus excipiebat, fovebatque quasi liquatas in cordis officina gemmulas.

VI. At sunt è contrario non pauci, quorum lacrymæ non jam in gemmas, sed in putidos vermes convertuntur. Scribit D. Athanasius in vita S. Antonij curaram illius precibus Virginem, cuius è naribus auribúsque quidquid fordium, quidquid ex oculis lacrymarum cadebat, in terram, in foedos ver-

Aug. Medit.
e. 36.

Gloria S.
Ignatij
cap. 9.

Psal. 118.

Herolt.
pag. 27.

Vita S. An-
tonii cap.
30.

mei

mes abibat. Tales sunt lacrymæ, quæ non ex DEI, sed rerum terrenarum & caducarum amore immoderatè funduntur. Quomodo Dido deslebat Aeneam, quam sic incusat Hippo-
nensis Præfus: *Quid miserius misero non miserante seipsum,* August. I. x.
& flente Didonis mortem, qua flebat amando Aeneam? non flen- confess, c.
te autem mortem suam, qua flebat non amando te Deus meus? 13.
Quomodo alii defunctos liberos, alii jacturam opum inconsi-
labiliter deplorant. Steriles ejusmodi lacrymas appellat Pe-
trus Cellensis: *Sterilis est, inquiens, omnis effusio lacrymarum,* B. Petrus
qua non effunditur propter regnum cœlorum; *Sterilis planè ad* Cell, de pa-
instar aquæ corruptæ, quæ nihil nisi vermes, ranas & id genus nibus c. 12.
putrida ac mortifera infecta generat. Ecclesiastici c. 30. *Mul-* Eccli. 30.
tos occidit tristitia, & non est utilitas in illa? Tristitiam in-
telligit sapiens non illam sanctam & piam, quæ seu ex dolore
peccatorum, seu ex dilatione æternæ patriæ, sed ex malis tem-
poralibus proficiscitur, uti rectè hic annotavit Chrysostomus,
ità differens: *Tristitia nobis data est, non ut in morte, aut alia Chrysost.*
in re dolcamus, sed ut deleamus peccata; *tristitia peccatum hom. s. ad*
collit, non alias aggritudines. *Pecunia quis multatus est; doluit,* pop.
non recuperavit. *Filiam amisi;* *doluit, non resuscitavit mor-*
tuum. *Contumelias affectus est;* *doluit, famam non revocavit.*
Infirmatur; *dolet, morbum non auferit, sed auget.* At peccavit
quis; *tristatus est, peccatum delevit, ergo tristitia tantum fa-*
cita est propter peccatum, à quo nata est. Atque hæc est illa
tristitia & luctus, in qua beatitudinem reposuit divina Veritas,
dum pronuntiavit: *Benti, qui lugent: quoniam ipsi consola-* Matth. 5.
buntur. Et Joannis 16. *Tristitia vestra vertetur in gau-* Joan. 16.
dium. Ubi rursus Chrysostomus: *Sicut, ait, post vehementes imbras,* mundus aër ac purus efficitur; ita etiam lacryma-
rum pluvias serenitas mentis sequitur atque tranquillitas,
omnisq; illa de peccatorum tenebris offusa caligo dissolvitur:
absterget siquidem D E U S omnem lacrymam ab oculis eo-
rum.

Ambr. Absterge & tu, ô dulcissima Parens & Virgo MARIA, absterge omnem lacrymam ab oculis divinissimi tui ac mei Iesuli, & hoc me clenodio dona. Ego lacrymarum istarum causa sum, propter me illæ funduntur. Sed licet mea fundantur culpâ, funduntur tamen in salutem. Me enim (liceat cum Mediolanensi Doctore dicere) me Christi infantis vagientis abluunt fletus, illæ lacrymae mea delicta lavant. Sic inde reporto medelam, ubi doloris inflixi plagam.

DIES III. INFRA OCTAVAM NATIVITATIS DOMINI

Consideratio III.

Jefulus nascens Amor ridens.

Risum fecit mihi Deus. Gen. 21.

I.

Virg. Ecl. 2. **P**Aræmia præcis abhinc seculis decantata est: Post nubila Phœbus: post fletum risus. Amant alterna non Camœnæ duntaxat, sed & astra ac multo magis Amor. Nescit hic uno semper vultu, uno Schemate incedere; sed veluti Versumnus formas se fingit in omnes, atque alias ex alio videri amat. Non tot colores Chamæleon, Irïsve Thaumantias recipiunt, quot diversos affectus amor identidem induit: jam rubet, jam pallet: nunc æstuat, nunc friget: modò sœvit, modò mulcit: nunc audet, nunc timet: nunc dolet, nunc gaudet: mox flet, mox rider, quasi eodem ex fonte & lacrymas & risum educens. Vidimus hesterna die Amorem divinum plorantem & in uberes lacrymarum guttas totum quodammodo resolutum; at, ô felicem metamorphosin! versa est in risum hodie flebilis næra. Ridet idem Amor & cum illo omnia,

Omnia, ridet cœlum & Apollo, rident Angeli, ridet Virgo Ma-
ter, ridet Joseph, rident prata, rident sara, ridet universa tellus;
Exultant ipsa bestia & pecora campi, dicentes omnes unani-
miter: *Risum fecit nobis Deus.* Est risus, ut Philosophi de-
finiunt, concitator quidam animi ex re jucunda motus, ad
conceptum intus gaudium explicandum. Laudatissimi &
Sanctissimi Isaaci parentes Abraham & Sara, cum ille centum,
hæc nonaginta ipsos annos in lugubri sterilitate toti modesti ac
dolentes exegissent, accepto de nascituro sibi filio, cœlesti num-
tiō mirificè recreati, continuò, quod senibus alias insuetum, in
risum uterque effusi sunt: *Cecidit Abraham in faciem suam*
(postquam nimirum audivit à Domino: *Dabo tibi ex Sara*
filiū) & risit; qui ejus risus, teste D. Augustino, exultatio
fuit gratulantis non, quod aliqui putabant, irrisio diffidentis.
Sara similiter, audiens post tabernaculum Angelum dicentem
Abrahæ: *Revertens veniam ad te tempore isto, vita comite, &*
babebit filium Sara uxor tua; risit post ostium tabernaculi.
Risit, inquit D. Ambrosius, abhinc neclens quid rideret, quod Ambros.
publicam esset in Isaac paritura latitiam. Unde etiam à risu
Isaac nomen ei inditum: tsachak enim hebraicè ridere signi-
ficat: *Vocavit Abraham nomen filii sui, quem genuit ei Sara,*
Isaac, dicente Sara: *Risum fecit mihi Dominus, quicumque au-*
dierit, corridebit mihi. Isaacum in omni pene vita sua Chri-
sti gessisse typum, satis ex Patribus totiusque Ecclesie sensu li-
quet. Pulchre ante alios hic citatus Ambrosius: *Ille (Isaac)*
nominabatur: & iste (Christus) designabatur. ille exprimeba-
tur & iste annuntiabatur. Et paulo post: *Bonus Isaac, risus,*
ut pote plenus gratiae & fons latitiae. Id quod præsenti consi-
deratione expendemus.

II. Quanquam immoderatus & effusior risus ab omnibus
sapientibus jure merito reprehenditur, moderatum tamen ad
oris vulnusque gratiam non parum facere nemo inficiatur.
Hinc Clemens Alexandrinus: *alius risus est, inquit, immoderata*

Cl. Alex.

rata & concinna vultus dissolutio ; alius concinnus , quem definit esse , vultus tanquam alicujus instrumenti decoram & concinnam remissionem : atque ad hunc allusit Martialis , cùm cecinit .

Mart. I. 7.
Epigr.

Nec grata est facies, cui gelasinus abest.
Sunt autem gelasini linea sive rugae quæ in ridentis facie effor-
mantur, & præcipue in vultibus amantium, dum se se mutuo
blande respiciunt. Hujusmodi risum collaudans Erycius Pu-
teanus ita scribit: *Pauci omnino homines sunt, qui aut non ri-
deant, aut suarissimum hoc naturæ donum latitiae symbolum
aversantur.* Hac se tesserat quisque prodit, & veram ingenii
indolem explicat, mundo velut assignatam. In meliori vultu
nisi risus est, venustas velut nube obsidetur: cùm suarissima
etas est, ridet: cùm pulcherrimus annus, ridet: cùm sine face
caelum, ridet: ubique humanum hunc affectum natura usur-
pat, ut decorum augeat; aut certè facit homo quod natura, tan-
quam rideat, cùm serenus est, & à turris rerum atque tempesta-
tibus animum separavit. Homerus hanc oris hilaritatem
Diis immortalibus non immerito attribuit, dum cecinit:

Homer.

Phor. Cod.
190.

Plutarchus
in Ægide,
Cleomene,
Lycурgo.

Aōēs ḡ d' ἥπ. εὐωλέ πάνας πανδεσσι δροῖται.
Difficilisque Deis extingui risus inerrat.

Et Theodorus Samothrax fingit Jovem natum septem dies ri-
fisse, indeque septenarium numerum pro perfecto habitum.
Quo aliud nihil significare volebat, quam in solo Deo perfe-
ctissimam esse latitudinem. Hinc caelo receptus risus, inquit Plu-
tarthus, in terris quoque tanquam numen coli coepit, & tem-
pla ac simulacra invenit; immo, quod reverentiam tam jucundi
auget Dei, apud gravissimos illos Spartanos. Contemplemur
nunc vultum divinissimum, speciosamque natu nobis Dei fa-
ciem: quam gratiosos in illa videbimus gelasinos, quam ama-
bilem contuebimus risum, quoniam nunc dulcissimam Matrem,
nunc amantissimum nutritium, modo simplices Pastorculos,
modo venerandos Reges, & quotquot ad eum visendum ve-
niunt,

niunt, dulciter arrider, ipsisque ab blanditur, quasi omnes tacitè salutet: Bene veneritis amici & charissimi mei: congaudete mecum & correditate mihi, quia non mihi duntaxat magnificando me hodie & manifestando, sed multò magis vobis risum fecit Pater meus, dando me vobis diu promissum fontem lætitiae Salvatorem. Rectè proinde S. Leo Papa sermonem hodiernum sic exorditur: *Salvator noster, dilectissimi, hodie natus est, gaudemus.* Neque enim fas est locum esse tristitia, ubi natalis est vita.

Ser. I. de
Nativ. Do-
mini.

III. Commune est plerisque nationibus natales Principum ac præcipue primogenitorum omni festivitatis genere celebrare in publicæ argumentum lætitiae, eò quod natus sit haeres, qui paternum folium postliminiò consensurus, eos gubernet, foveat, protegat & ab omnibus undeunde imminentibus periculis injuriisque defendat. Hic varia institui certamina ac ludi, apparari convivia & symposia, tubæ & omnis generis musica organa personare, æneæ reboare fistulæ, festivi accendi ignes, ubique audiri lætum Jo! Jo Pæan! Sic Plato in Alcibiade refert, postquam Regis Persarum filius primogenitus, ad quem jus Règni pertinebat, natus erat, primum quidem omnes Persico Regno subjectos festivum illum diem celebrasse. Deinde verò in reliquum tempus, hac ipsa die, quâ Rex natus erat, universam Asiam, natalia solennia in hunc usum festo instituto solennib[us]que Sacrificiis celebrare fuisse solitam: quo tempore Rex Persas etiam strenis & muneribus donâsse perhibetur. Quis tantus Princeps aliquando natus est, quam quem diebus istis MARIA Virgo edidit? Princeps non unius Regionis & Regni, sed Princeps Regum terra, filius altissimi, primogenitus ante omnem creaturam, quem Pater constituit heredem universorum, per quem fecit & secula, ut ait Apostolus, hic est ille heres in Isaaco Promissus Abrahæ Patri ejusque in evum semini; de quo idem Apostolus: Abrahæ di- et a sunt promissiones & semini ejus, non dicit: & seminibus ejus,

Plato in
Alc. I.

Herod. I. 9.

Apoc. 1.

Ecli. 24.

Hebr. 1.

Gal. 3.

eius, quasi in multis, sed quasi in uno: Et semini tuo, qui est Christus. Et quæ modo festiva cernuntur gaudia? quæ lætitiae publicæ indicia? qui plausus, quæ jubila? Video equidem plerisque splendidius amictos incedere: video celebrari epulas: audio passim per domos cantillari: strenas (quas vulgo Colledam dicimus) largè distribui. Sed numquid hæc tanto Principe digna satis? Imò ridicula, nisi procedant ex gaudio spirituali, sanctaque lætitia, qualis erat populi Judaici, cum diem festum ob triumphatum Holofernem agerent: Erat, inquit sacra historia, *populus jucundus secundum faciem Sanctorum*, id est, ut explicat glossa: *Sicut decet Sanctos; cujusmodi vero hæc Sanctorum esset lætitia, protinus subdit, cum verba sequentia: Per tres menses gaudium hujus victoriae celebratum est cum Judith, ita interpretatur: Per tres menses, cogitationis, locutionis, operationis: item, fidei, spei, charitatis, quibus gaudent Sancti in incolatu hujus mundi.* Quasi vellet dicere, gaudium & lætitiam Sanctorum eam esse, quæ ex virtutum exercitio, recta operatione & divinorum mysteriorum consideratione procedit, teste Gilberto Abbe, dum ait: *Sanctorum lætitia est mentis quedam divina alacritas, quæ de Christi præsentia (scilicet intentionali) concipi solet, & quam verè possumus præsentiam ipsius interpretari.* S. Augustinus commentans in illud Psalm. 69. *Lætamini Iusti, &c.* Jam forte fidèles, inquit, audientes lætamini convivia meditantur, calices preparant, rosarum tempus expectant, quia dictum est: *Lætamini Iusti, vide quid sequitur, in Domino.* Non enim jucunditas, quæ est secundum seculum vera jucunditas est: in Salvatore nostro vera est duntaxat lætitia & gaudium.

Glossa.
Judith. 16.
Gilb. Com.
2. Op. D.
Bern.
August. in
Psalm.
Joan. 8.

Tale fuit gaudium S. Patriarchæ Abrahami, dum per divinam revelationem intellectuali risu Messiam præsentem conspexit, de quo ipse Dominus ad Judæos. *Abraham, inquit, pater vester exultavit ut videret diem meum,* (diem nativitatis, ut nonnulli explicitant) *vidit & gavisus est.* Talis erat exultatio

tatio Davidis, dum cecinit: *Cor meum & caro mea exultavoc-* Psal. 83.
runt in Deum vivum. Talis exultatio Annæ veteris, ob na-
 tum Samuelem ita psallentis: *Exultavit cor meum in Domino,* I. Reg. 2.
quia latata sum in salutari ejus. Talis exultatio Joannis Bapti-
 sta præsente ac se invidente Christo: *Exultavit in gaudio iiii-* Luc. I.
fans in utero. Quæ exultatio & saltus non histrionicus, sed de-
 cens & sanctus, non tam corporalis quæm spiritualis erat; nam,
 ut pulchres super hoc D. Ambrosius differit: *Saltationem à no-* Ambr. sc.
bis requirit Dominus, non utique finuosi volubilitatem corporis, 80.
 sed extollentis se fidei sanctitatem. Sicut enim qui corporali-
 ter saltat, nunc in aëre suspenditur, nunc ad altiora jacatur,
 nunc alternis saltibus loca diversa collustrat: ita & quis spiri-
 tualiter saltat, interveniente fide, modo in aëris sublimitatem
 erigitur, modo ad siderum altiora tollitur, modo diversis cogi-
 tationum saltibus paradisum carlumque collustrat. Et hæc
 esse spectacula, hos ludos, agones & certamina, quibus optimè
 sacratissimus Domini Natalis celebratur, eleganter docet Ter-
 tullianus: *Quid, inquietus, juvündius, quæm DEI Patri & Do-*
mini reconciliatio, (per poenitentiam seriāmque peccatorum
confessionem) quæm veritatis revelatio, (per piam & arden-
tem mysterii tanti contemplationem) quæm errorum reco-
gnitio, (per accuratum conscientię examen) quæm tantorum
retro criminum venia, (per gratiam Sacramentalem?) Quæ
major voluptas, quæm fastidium ipsius voluptatis, carnalis &
mundanæ? Ha voluptates, hæc spectacula Christianorum, san-
cta, perpetua, gratuita. In his tibi ludos circenses interpre-
tare, cursus seculi intuere, tempora labentia di numerā, metas
consummationis expecta. Si Scenica doctrina delectant, satis no-
bis litterarum est in divinis mysteriis, satis versuum, satis sen-
tentiarum, satis etiam cantorum, nec fabula, sed veritates,
nec strophae, sed simplicitates. Vis & pugilatus & luctatus?
præstosunt. Aspice impudicitiam dejectam à castitate; perfidiam
cæsam à fide; savitiam à misericordia contusam; petu-

Testull. lib.
de specta-
culis c. 29.

34 Diei III. infra Octavam Nativitatis Domini,

lantiam à modestia obumbratam. Et tales sunt apud nos agones, in quibus ipsi coronamur; addo ego, & quibus festivitates nostras celebramus. Expressit hoc ipsum Apostolus, cùm dixit: Apparuit gratia DEI Salvatoris nostri (in ejus sacratissima nativitate) omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem & secularia desideria, sobrie & justè & pie vivamus in hoc seculo. q. d. non ideo Christum nobis apparuisse ac natum esse, ut impudicitiae, comeditionibus, impietati, ac intemperantiae, sed justitiae, sobrietati, castimoniæ plusque operibus vacemus. Unde & in alia epistola expressius monet: *No in comeditionibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, sed induimini Dominum Iesum Christum.* Hic est verè festivus Christianorum amictus, quo induiti quam splendidissimi apparent

Michaël Pio de viris illustr. Ord. S. Domin. sanctorum; jucundantur; qualiter jucundabatur B. Jacobus de Bevagno ex illustri Blancorū familia Ordinis S. Dominicī, cui dum aliquando Mater sumptus pro comparanda eleganti ueste rogata dedisset, ille pro his Christi crucifixi imaginem præstanti opere fieri fecit. Mater ubi se delusam vidit, graviter illum objurgavit, quod mendacio se circumvenisset. At ille candide respondit: Absit, inquiens, ut mentiri tibi velim, neque enim fucum feci, quando ē S. Pauli doctrina uestis nostra Jesus est: *Induimini Dominum Iesum.* Hic habitus est omnium splendidissimus, quo exornari homo Christianus queat, dicereque: *Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo: quia induit me uestimentis salutis, & induimento justitiae circumdedit me.* vel, ut alii legunt: *induit me uestimentum Iesum.* Septuaginta: *Tunicam latitiae.* Verè, tunicam latitiae; quia vera majorque latitia nusquam est nisi in Christo. Quomodo verò hæc tunica indui debeat, pereleganter docet subtilis Doctor Basilii: *Induite, inquiens, Dominum Iesum non secundum exteriorem hominem, sed mens nostra DEI memoria circumamiciatur.* Et Divus Chrysostomus: *Induere Christum, est undique in nobis per sanctimoniam*

Ila. 61.

Basil. in
Pl. 44.
Chrysost.
in ep. ad
Rom.

& mansuetudinem Christum conspicuum esse. Homo enim induitus id esse videtur, quod intus est; apparent itaque in nobis Christus. Si quis novam tunicam induatur, encanmare dicitur. Aug. tract. ait S. Augustinus: Gracem enim canor dicitur novum. Encæ- 48. in Joan. niat sane, qui tunicam lætitiae Christum induit, tunicam planè novam, de qua est illud Prophetæ: Novum creavit Dominus Jer. 31. super terram, i. e. novum creationis opus, scilicet opus incarnationis & nativitatis Christi, ut explicat Rabanus. Ita en- Rabanus. cæniabat S. Hugo Episcopus ex Ordine Carthusiensi parvulo. Dornal. Je su specialiter addictus; in cuius Missam celebrantis mani- Chron. bus Clericus nonnemo illum ipsum divinissimum parvulum Carthus. Episcopo blandissimè arridentem conspexit. Familiare hoc l. 3. c. 8. nimirum est amantibus, ut cum sese invicem novis vestibus, & præsertim concoloribus vestitos contemplantur, sibimet dulcissimè arrideant, eo quod alter in altero se intueri velut in speculo existimet, & nihil tam facile risum provocet ac risus, ut meritò dixerit Sara: Risum fecit mihi Deus: quicunque au- Gen. 21. dierit vel viderit me ridentem, corridebit mihi.

IV. Non hic ego commemooro Bernardos, Antonios Paudanos, Franciscos & Franciscas, Catharinas sive Senenses, sive Bononienses, sive Raconisias, Gertrudes, Mechtildes, Lyduinas, Rosas, Margaritas Castillias, Marias Oegniacenses, Angelas Fulginias & alios sexcentos & sexcentas, qui parvulum IEsum, amorem suum unicum totum suavem ac renidentem, seu ipsa natali nocte, seu alias sinu suo excipere, eumque amplecti, dissuaviari, & cum eodem deliciari meriti & ipsi præ Sara gloriari poterant: Risum fecit nobis Deus, risum planè cœlestem ac divinum communicando nobis totius lætitiae fontem: nihil, inquam, hæc commemooro; sed illud cum veritate ausim pronunciare: omnes & singulos, quotquot hisce diebus per poenitentia & sanctissimæ Eucharistia Sacramentum gratiæ divinæ participes effecti sunt, eodem jure, quô illi & illæ posse gloriari atque dicere: Risum fe-

36 Diei III. infra Ottavam Nativitatis Domini,

cit nobis DEUS. Quod enim maius accidere animæ gaudium
potest, quam ex presentia Christi, qui per gratiæ in illa quodammodo renascitur, immo in se totaliter transformat: Finis enim

Leo ep. 15. Eucharistia sacramenti, ait S. Leo, est, ut in carné Christi trans-Naz.orat. eamus, &c. ut loquitur Nazianenus; ut Christus simus. Hinc
Martyrol. Synodus Agathensis indebili lege quandam sanxerat: Laicos
Gallican. omnes in hac celebritate (Natalis Domini) divino altari com-
25. De-
cembr. municare. Quotquot autem à mensa Domini absuisse constar-
ret ista die, deinceps inter Catholicos esse minimè habendos, ut
pote destitutos festiva ueste & amictu latitiæ, quam omnes
fideles illa die præ se ferre decet non minus ac in solennitate Pa-
schæ, ut refertur in Martyrologio Gallico, 25. Decembri.

Et meritò, sunt enim hæ duæ solennitates sibi invicem paral-
lelæ: nam hic Christus securidum carnem natus; ibi celebra-
tur renatus: hic clauso Matris utero; ibi clauso prodiit tumu-
lo: in hac latentes apparuere Angeli; illic in albis sedentes
pone sepulchrum: hic gaudium magnum evangelizaverunt;
ibi Regina cœli latare cecinerunt: hic pacem hominibus bo-
nae voluntatis annuntiant; ibi discipulis & mulieribus: Pax
vobis, ab ipso Domino annuntiantur.

V. Sed enim reperiuntur etiam num non pauci qui solen-
nitates istas lugubres magis, quam jucundas reddunt, dum
nimirum non festivum amictum, tunicamque latitiæ, sed
sordidas laciniias & obsoleta scruta superinduunt, homi-
nem, inquam, veterem, quô his diebus maxime expoliari de-
berent juxta monitum Apostoli: Expoliantes vos veterem
hominem cum vestibus suis & induentes novum; veterem, id
est, viatum a terrenum; novum, id est, spiritualem ac co-
elestem, quos scite describit Bernardus: Duo, inquiens, homines
sunt vetus & novus; Adam vetus & Christus novus: ille ter-
renus, iste caelensis; illius imago vetustas, istius imago novitas.
Est autem triplex vetustas, & è contrario triplex novitas: est
enim vetustas in corde, in ore, in corpore. In quibus tribus mo-

Bern. sex.
30. int.
parv.

dis

Consideratio III.

37

dis peccamus cogitatione, locutione & opere. In corde sunt carnalia desideria & secularia, id est, amor carnis & amor seculi. Similiter in ore est gemina vetustas, arrogantia & derogatio. Item gemina in corpore flagitia & facinora. Hac enim sunt imago veteris hominis & hac omnia renovanda sunt in nobis. At vero tam parum renovantur, ut, quod paulo antea diximus, magis vetera veteribus superinduantur, festumque natalis Domini diem, liceat ita loqui, dedecorent, & planctus materiam praebant. Nam ut citatus Bernardus: *Ipsius plangimus solennitatis injuriam, quam dissimulare non possumus, nec in ipsa, Bern. ser. 1.
de refur.
Dom.*

immo minus in ipsa. Pro dolor! peccandi tempus, terminus recidendi, facta est Nativitas Salvatoris: ex hoc nempe commissationes & ebrietates redeunt, cubilia & impudicitiae repetuntur, laxantur concupiscentiis frena, quasi ad hoc natus sit Christus, & non magis propter justificationem nostram. Sic honoratis miseri Christum? Si terreno quopiam Principe urbem suam ingredientे, incolae ei occurrerent toti pannosi, luridi & saccis induiti, atque loco festivi *salve*, inconditos ejulatus ac vociferationes ederent, esse ne hic Principis ingressus dies latitiae, & non magis dies justae indignationis & ultiōis, quā justē in nefarios illos exardeceret? Et quomodo non exardecerat, non perditum eat Christus illos, qui his diebus intemperanter commessando, helluando, vociferando, rixando, pugnas ciendo, blasphemando, petulciendo, lasciviendo, &c. Solennitatem eius funestant? Hoc nempe est latari, cum latantur, dum male fecerint, & exultant in rebus pessimis. Vel, ut Hebræus habet: cantant, tripudiant. Olætitiam, non latitiam, sed summa tristitiam! Orisum, non risum, sed amarissimum planum! Etsi enim impii, quod ait Chrysostomus, mille voluptatibus & gaudiis abundare videantur, quamvis delectationum flumina adesse illis credantur; multis tamen amarissimis rebus perfossi plerumque jacent; Siquidem eorum latititia, ruina est, ut colligitur ex illo Jobi: *Laus impiorum brevis, & gaudium* Job. 20.

38 *Diei III. infra Octavam Nativitatis Domini,*
dium hypocritæ instar puncti; pro quo septuaginta legunt;
Latitia impiorum, ruina ingens; gaudium autem iniquorum,
perditio. Qualis Turcarum saltus, quem honori sui Mahomet instruunt, se in orbem tam diu gyrando ac rotando, do-
nec deficiente spiritu & mente cadant & corruant, illamque
vocant choream angelorum: Angelorum scilicet non bono-
rum, sed malorum, seu Cacodæmonum. Talis etiam chorea
fuit illorum, de quibus Cranzius, qui prope Halberstadium in
Germania nocte Natalis Domini, in cæmterio S. Magni, in-
concinnis clamoribus ebrii, aliis in Ecclesia psallentibus fere in
gyrum circumagentes Saltabant. Rogati à Sacerdote Sacra
facturo, nè divinum officium interrumperent, nihil fecerū-
minas. Ille ad impatientiam versus correptusque zelō & in-
dignatione divinæ injuriæ, & contemptus in Religionem:
Quando, inquit, mecum divina religio contemnitur, sit vobis
circuitus ille annalis. Exinde ultio divina contumaces inse-
quitur: sinè cessatione, sinè ulla quiete, per dies & noctes,
absque cibo gyrabantur. Miserum spectaculum, dum rota-
rentur gyrantes. Stupuere, qui viderant. Aliquot sancti viri
interposita prece orabant pro illis: nihilominus gyrabant. So-
rorem suam quidam extracturus de circulo gyrantrum, bra-
chium fertur evulsisse: illa perseverabat gyrans. Impressere
alta terræ vestigia. Anno demum evoluto quievere; major
pars spiritum efflavit. *Latitia impiorum, ruina ingens; gau-*
dium autem iniquorum perditio, cui luctus & fletus it comes,
juxta illud Sapientis: *Extrema gaudii luctus occupat;* Et
illud Dominicum: *Va vobis, qui ridetis nunc,*
quia flebitis.

• 9 (* * *) 9 •

Prov. 14.

Luc. 6.

Cranz. I. 4.
Saxonie
c. 33.

DIES

DIES IV. INFRA OCTAVAM
NATIVITATIS DOMINI.

Consideratio IV.

Jesulus nascens, Amor vulnerans.

Ipse vulnerat & medetur. Job. 5.

I.

ODolor! ô luctus! ô crudelitas! ô spectaculum cœlo
terrisque horrendum ac miserandum! Conde lumi-
na tua, obnube vultus magne Mundi Ocale, nè tan-
tam videoas immanitatem! Bethleem illa *sola magnarum ur-*
bium Major Bethleem cui contigit nuper Duce salutis cœlitus
Incorporatum gignere: illa Bethleem Domus panis & Judææ
delicium hodie in roseo filiorum suorum sanguine tota natat.
Jacent lactentes & lacteoli ejus parvuli; jacent imperfecti *in Thren. 2.*
plateis oppidi. Jacent sparsa per agros & vicos innocentia
membra & in totos colliguntur acervos, more bidentium la-
niata corpuscula. Oves balant matres, *Lamentis gemitique Virg. En. 2*
& fæmineo ululatu *Tecta tremunt:* ploratus excelsa ferit si-
dera: Rachel plorat filios suos & renuit consolari, *quia non Matth. 2.*
funt. Non sunt qui paulò antè partu in lucem editi matribus
risum fecerant, inter earum ubera suavè commorabantur, in-
ter ulnas & brachia dulciter lusitabant. Non sunt, qui ceu pri-
mi veris gemmulæ vernare, & ceu primuli flosculi, in spem fa-
miliarum efflorescere cœperant. Deciderunt, emarcuerunt,
evanuerunt, non sunt. Quis eos tam immaturo fato sustu-
lit? sustulit lucis ipso in limine ceu turbo nascentes rosas Christi
insecutor: ille sanguinarius Judææ tyrannus, feris crudelior,
leonibus immanior, tigribus immittior, draconibus pestilen-
tior Ascalonites; pectus cui saxeum, cor silex, viscera ferrea,
ille.

40 Diei IV. infra Octavam Nativitatis Domini,

ille, inquam, seculis omnibus execrandus ac detestandus Herodes. At quid profitit tantum nefas? Quid crimen Herodem juvat? Unus tot inter funera (quem principaliter perditum ibat) Impunè Christus tollitur. Tollitur Christus, cadunt parvuli, furoris victimæ. Furoris dicam, an Amoris? imò verius Amoris. Litavit equidem eorum sanguine sibimet ipsi Furor, sed ita litavit, ut non tam victimarum Sacerdos, quam suus ipse fieret carnifex, in caput & ruinam propriam cædendo à quibus in reciprocam expeteretur cædem, & qui adversus eum sub throno DEI quotidie inclamarent: *Vindica Domine sanguinem nostrum.* Non igitur Furori cecidisse censendi sunt, de quo tam gloriose etiam nunc ita triumphant, ut *aram sub ipsam simplices palma & coronis ludant;* non, inquam, Furori cecidisse videri poterant, sed Amori, cuius illa ara est, & cui sanctius immolati sunt, ut idcirco prima Christi victima meritò ab Ecclesia in hymno hodierno vocentur: *Vos prima Christi victima, Grex immolatorum tener.*

Apoc. 6.

Origen.
Hom. 2. in
Cantic.

Mosch.
descript.
Amoris.

Græc. Epi.
gram. c. 27.

II. Qui parvuni Cupidinem arcu & sagittis, lancea & gladio armatum primi finxere, non sine luculento id fecere mysterio, argumentoque veritatis. Quis enim sagittandi peritior, quis ad vulnera accædes expeditior, quam Amor? Amor, teste sapientissimo Adamantio, *sagittarius est*, a quo non unus *jaculum & vulnus accepit.* Parva quidem illi manus (quod ait Moschius) longè vero jaculatur. *Jaculatur etiam in Acherrontem & ad inferum Regem.* Sic Meleager apud Græcos tribus se Amoris petitum sagittis satetur, quasi is non unum, sed tria in se corda vulnerare voluisse. Et nonnemo alius ibidem: *Quis, inquit, Amorem dixerit Deum?* Dei enim malum nullum videmus esse opus, hic vero hominum sanguine latatur. Id quod non unus Pyramus & Thisbe, non una Dido, non una Porcia Brutii experti sunt. Et haec quidem amoris profani, ne dicam impuri vulnera ac funera fuere, de quo proinde meritò canatur: *Quis Deum dixerit Amorem, non Deum certè, sed tyrannum.* Sed

Sed enim Deus est, ac verè Deus, qui nuper in Bethleem ad nos prodiit puer Amor, Amor sagittarius imò ipsa æterni Patris sagitta, quemadmodum ipsem de se apud Prophetam fatetur: *Posuit me, Pater, sicut sagittam electam*, vel, ut alii Isa. 49. vertunt, *exteram, politam, nitidam & fulgentem*; David in-super acutam vocat: *Sagitta tua acuta in corda*: Eundem Psal. 44. Amorem gladio accinctum ibidem describit, cui dicitur: *Attingere gladio tuo super femur tuum potentissime*: quo accinctus & armatus palam non dubitat profiteri: *Non veni pacem* Matth. 10. *mittere, sed gladium*. Veni enim separare hominem adversus patrem suum & filium adversus matrem suam; id quod vix natus luculentè in hodiernis parvulis præstítit, quos à charis parentibus ita separavit, ità divisit, ut animas ipsas parentum divisisse & corda eorum per medium secuisse videretur. Huc enim facit illud Apostoli: *Vivus est sermo Domini (dixerim ego Hebr. 4. Verbum Divinum) & efficax, & penetrabilior omni gladio* Q. 10. 2. *ancipiti, & pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus, compagium quoque ac medullarum*. Sed quamvis, ô bona Rachel, tibi compages omnes in cæde tuorum dilectorum liberorum dissolutæ, medulla omnis hausta & consumpta, anima & cor per medium dissecta videantur, noli tamen velut altera Niobe orbitatem tuam usque adeo deplorare, ut nullam omnino consolationem admittere velis. Pupuli quidem tui vulnerati & occisi jacent, verùm non à furioso & superbo aliquo Apolline, sed ab eo, de quo dicit Origenes: *Quām pulchrum est, quām decorum à charitate vulnus accipere*; imò & occidi! Quid ita? quia ejusmodi vulnera & cædes ipsissima sanitas & vita sunt: hic enim cum primis locum habet illud P. Syri: *Amoris vulnus idem qui sanat, facit*. Id quod multis re-trò antè seculis expertum se prædicat Hussæus Princeps, cùm ait: *Ipse (divinus Amor) vulnerat & medetur*. Hoc est, ut explicat D. Gregorius: *Vulnerando ad salutem revocat: cùm electos suos affligit exterius, ut interius vivant*. Idem con-

Orig. hom.
2. in Cant.

Publ. Syr.
Mim.

Job. 5.

42 Diei IV. infra Octavam Nativitatis Domini,

I. Reg. 2. firmat in suo Cantico Eucharistico Anna Samuelis: *Dominus mortificat & vivificat.* Idem Dux Israëlis Moyses, dum in persona ipsius Domini canit: *Ego occidam & ego vivere faciam.*

Deut. 32, III. Occisi sunt & in occidente gladii mortui Innocentes hodierni & ecce vivunt, & ipsum sequuntur Agnum sine macula & dicunt semper, imò canunt: *Gloria tibi Domine.* Gloria tibi Domine, qui posuisti sanguinem nostrum in manu tua, & fecisti nos tibi regnum, & regnabimus non jam super terram, sed super cœlos in tuo Amoris Regno. Esse regnum hoc sanguineum probat ipsa Amoris natura & complexio sanguinea, qualem in amantibus prædominari tota Medicorum docet schola; fuisséque Christo humani generis Amori & amatori non abnuunt Scripturistæ. Ad hoc ergo Regnum quisquis venire desiderat, non aliter venturum se speret, nisi per proprium sanguinem; qua ratione etiam Christum ipsum sibi met illud acquisivisse testatur Apostolus: *Christus, inquiens, non per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium introruit in Sancta*, i.e. Cœlum, quod ejus Regni sedes. Et verò non posse Amorem magis probari & testatum reddi quam per sanguinem, vel exinde liquet, quod jam olim amicitiarum & pacis foedera sanguine victimarum, ejusque aspersione, imò haustu, conscriptisque eodem chirographis sancirentur & firmarentur. Sic Medi atque Lydi foedera ineunt, brachia incidendo ac mutuum sanguinem delingendo, tradit Herodus. Seythæ infuso in grandem calicem fictilem vino, eorum sanguinem, qui foedus feriunt, commiscent, cultello aut gladio aliquantulum corporis incidentes, & de calice illo potant. Sic Nicetas refert, Principes Saracenorum & Byzantinum Imperatorem amicitiam inter se constituentes, utrumque venâ in pectore incisâ, suum alteri sanguinem propinasse. Sic Hispani ductu Ferdinandi Magellanis per fretum Antarcticum ad Moluccas penetrantes, dum Moluccarum degunt

Herod. I. 1. Idem l. 4.

Nicet. l. 2. de Imperio Isaaci An- geli. Petrus Cie- zat om. 2.

tegunt insulas, cum Calamaro Rege Calemandi insulæ Socie- hist. Peru.
tatem inierunt, more Gentis, sanguinem de brachio sinistro
mitentes, eoque os & linguam illinentes. Cornelius item Ta- cap. 94.
citus de sui temporis Regibus scribens: Mos est, inquit, Regi- Tacit. l. 12.
bus, quoties in societatem coeunt, implicare dextras pollices-
que inter se vincire nodoque præstringere. Mox ubi sanguis
in artus extremos se effuderit, leviter cœtu cruentum eliciunt, atque
invicem lambunt. Id fœdus arcum habetur quasi mutuo
cruore sacratum. Veniens in mundum incarnatus DEI
Amor, ut fœdus, societatem & amicitiam cum genere huma-
no æternam sanciret, tenerrimum suum corpusculum vel in
ipsis cunabulis incidi fecit, sanguinemque (cujus vel unica gutta
totius mundi premium infinitè superaret) in fidei suæ pignus
ac testimonium largè prolicuit; huic ut aliquam vicem red-
deret terra, natorum suorum sanguinem reciprocè obtulit, &
ita utrinque percussum fœdus est, factum non amici tantum,
sed plane consanguinei homo & Deus, & quidem consanguinei in primo gradu, quia fratres.

IV. Est in consanguineis & fratribus uti sanguinis arctior
affinitas, ita vehementior amoris affectus, ut alter in altero vi-
vere, & alter in altero mori se existimet. Frater, ajunt Fe- Festus,
stus & Agellius, sic dictus quasi ferè alter, imò verè alter, ut Agellius.
quodcumque uni accidit, aut laudis aut ignominiae, damni vel
lucri, doloris aut gaudii, periculum aut salus, imò mors & vita,
ea alteri obtingere, in altero lætari, tristari, periclitari, vivere
& mori videantur. Sic apud Valerium Maximum miles qui- Val. Max.
dam in castris Cn. Pompeji stipendia peragens, cum sertoria-
num militem acrius sibi in acie instantem cominus interemis-
set, jacentemque spoliaret, ut fratrem germanum esse cognovit,
multum ac diu convicio Deos ob donum impia victoria
infecurus, propè castra transtulit, & preciosa veste opertum
rogo imposuit, ac deinde subiecta face protinus eodem gla-
dio, quo illum interemerat, pectus suum transverberavit, sé-
que

que super corpus fratris prostratum, communibus flammis
 cremandum tradidit. Sic apud Aeneam Sylvium posteaquam
 En. Sylv. c.
 52. Asia ex.
 Strab.
 Augustus Cæsar Adiatorigem quendam Sacerdotem cum Cli-
 tato filio ad Comana Ponti urbem morti damnâsse, junior
 frater militibus qui eum ducebant, majorem se affirmabat,
 diuque inter fratres contentio fuit, & pulchrum de morte cer-
 tamen, cum præmori vellet uterque: quoique parentes Cli-
 tato persuasere, ut juniori cederet, afferendo ipsum, qui ætate
 proiectior esset, majorem de' matre ac reliquo fratre curam
 habiturum. Recentius quod subjicio: Navigabant in In-
 virtut. I. 4.
 c. 4. §. 15.
 diam Ximenii fratres, Gaspar & Ferdinandus; quos imma-
 nibus quassata fluctibus & lacera navis medio in Oceano desti-
 tuit, cum reliquis vectoribus. Desiliere plerique in lembum,
 qui onerariis semper adest: sed tanta vis mortalium jam erat,
 ut lembus haud dubiè vel placido mari esset absorbendus, nisi
 jactu corporum exoneraretur. In hac tanta desperatione sortes
 jaci placuit; attonitis omnibus capitique suo timentibus fera-
 lis designatio Gasparem Ximenium morti destinat, nec ille ab-
 nuebat: sed objecit Ferdinandus natrì major, vociferans:
 enimverò non passurum se, ut Gaspar spargeretur in fluctus;
 si exonerato navigio sit opus, vicarium se caput suum offerre.
 Contrà Gaspar, cui satì si in altero superstes foret, sibi perire
 sorte datum, viveret ipse diutius, qui tardius incepisset. Sed
 frustra; felicior eloquentia Ferdinandus fuit, persuasitque re-
 liquis, ut se victimam publicæ salutis dederent. Itaque omnium
 comploratione in undas dejicitur, trecentis supra sexaginta à
 terra passuum millibus.

Simile ferè certamen inter Christum recens natum & par-
 vulos Bethlemiticos observare licet. Excitatur occasione
 Nativitatis illius grandis tempestas, turbatur Herodes & omnis
 Hierosolyma cum ipso, Exclamat amens nuntiō: Successor
 instat, pellimur: Satelles i, ferrum rape, Perfunde cunas san-
 guine. Nec mora; itur, curritur & sagaci indagine ubique
 in

inquiritur: *Ubi est, qui natus est, Rex Iudeorum?* Pereat, occidat tanquam læsa maiestatis regnique affectati reus. At ecce dum unus Christus quæritur, subito milleni sele offerunt Christi, quorum unusquisque quā potest voce clamat: *Me me, adsum, quem quæritis, in me convertite ferrum.* Ità ad quatuordecim millia tot millia assignant Barrad. & Corn. à Lap. parvolorū à bimatu & infra crudeli laniēna perimuntur unoquoque ex his Christi (qui ut se majoribus suppliciis reservaret, in Aegyptum fecesserat) personam sustinente: in singulis enim Christum à se perimī barbara credebat immanitas. *Majorem* Chrysol.
ser. 33.
hac dilectionem nemo habet, quām ut animam suam ponat quis pro amicis suis, testatur æterna veritas: & quæ major dilectio, quām parvolorum istorum, qui primum vitæ suæ florēt pro Christo amico & fratre suo majore, posuerunt, docti antè militare quām vivere, antè pugnare quam ludere, fundere antè sanguinem, quām lactis ubera percipere, ut loquitur Chrysologus. Meritò flores martyrum, qualiter eos hodie salutat Ecclesia (*salvete flores Martyrum*) & primæ veris gemmæ ac rosæ, ut eosdem appellat Augustinus.

V. Rosam decus florum ac Regem proprium esse Amoris florem imò inventum non vanè comminiscabantur veteres, suūmque ruborem ac purpuram è sanguine Veneris accipere: Cùm enim Adonis puer à Marte Zelotypo percussus esset, Venus festinanter ad ei opitulandum cucurrit, quo in cursu in rosas incidit ac perinde in spinas, unde sanguis emanans proximam rosam, priùs candidam, puniceam reddidit. Ita Philostratus: *Spinae, inquit, Rosarum accidentem Venerem vulneraverunt.* Hinc, ut canit Cornelius Gallus *diligit florēm (rosam) Cypris ubique suum.* Passim apud Scriptores rosæ prædicantur Adonis monumenta, tinctura Veneris, telluris ornamenta, plantarum splendor, oculi florum, prati rurbor, flos omnium pulcherrimus & amatorius. Omnes has rosæ prærogatiyas & præconia SS. Innocentibus apprimè con-

hom. de
Innoc.

Aphor. in
Pogynasim.

46 Dici IV. infra Octavam Nativitatis Domini,

venire quis non videat? Sunt enim verò illi veri Amoris divini flores, qui ad innocentiae candorem proprii sanguinis ruborem addiderunt, ut per omnia similes furent dilecto suo candido & rubicundo, fratri, inquam, suo natu majori Christo, & non jam ferè alter, sed plane alter ille per summam atque perfectissimam charitatem, quam non loquendo sed moriendo professi sunt. Cupidines totidem & tanti Eros quosdam Anterotes merito dixerim; Rosam enim nūl aliud, quam vivum quoddam Cupidinis esse simulacrum peracutè observavit paulò antè citatus Philostratus, dum cecinit: ἡδα τὸν ἄνευ θεοῦ αὐτοῦ βασικόν εἶχε, τὸ μητέρος ἀγνή δάκρυν, τοῖς φύλαιοις ἵπποις: Rosa spinam sagittarum loco habent, rutilum colorem pro facibus, foliis alatae sunt.

Philost. in Epist.
Raban. in Eccl. c. 50.
Thom. Kemp. l. 2. c. 4.
Morale.
Phil. in epist.

Habent & Cupidines nostri spinarum loco acutissimos Herodis mucrones; habent cruentum proprium pro face, quo & Christi nativitatem mirè illustrarunt & ad amorem ejusdem martyriique desiderium multorum fidelium corda saluberrimè inflammant. Quid enim per flores purpureos roscarum nisi martyrum sanguis in virore nascentis Ecclesiae exprimitur? ait Rabanus; habent folia viridantia, quibus veluti alis perniciissimè ad ipsum DEI thronum evolaverunt, candidam nimis simplicitatem & purissimam innocentiam, quas virtutes religiosissimus Asceta alas geminas vocat: *Duabus*, inquiens, *alis homo sublevatur à terrenis*, simplicitate scilicet & puritate. Quid purius parvulis istis, qui, ut Ecclesia de ipsis canit, *cum mulieribus non sunt coquinari*? Quid simplicius, in quorum ore non est inventum mendacium? verè cœli ornamenta Ecclesiae utriusque triumphantis ac militantis decus ac splendor, ocelli Christi, flores omnium pulcherrimi & animatissimi.

VI. Vos nunc alloquor adolescentuli & pueræ, parentum chara pignora, qui in pulchras Reipublicæ spes vernatis ac florietis, &c. quod de formosis pronunciavit Philostratus rosis, armamini, si pares Sanctis Innocentibus, in gratia & gloria esse cupitis, eadem etiam quâ illi cogitatione armamini, cogitan-

tes

tes nimis, quām pulchrum, quām decorum sit, à charitate ^{Orig. hom.}
vulnus accipere, à charitate, inquam, & Amore, non Cyprio
illo & profano sed sancto & divino, cuius telū formosum & ele-
ctum appellat Origenes: Præbe te, o adolescentule, o anima
fidelis, præbe te jaculo electo, jaculo formoso DEI, siquidem
DEUS sagittarius est. Ovidius quidem infamis ille amator
pariter infami ac malesano Cupidini suo non dubitavit telum
alterum auratum, & cuspide fulgens acuta, alterum obtusum ^{Ovid. Met.}
& habens sub arundine plumbum attribuere. Verum nos, uti ^{I. fab. 13.}

Amores ipsos invicem oppositos distinguimus, sic eorum tela
rectius ita distinxerimus, ut auratum soli divino Amori, obtu-
sum & plumbeum profano & carnali tribuamus. Quid enim
hoc posteriore gravius, quid hebetius, quid iuridius? Hoc to-
xicatum est; illud medicatum: hoc vulnus latè hians infligit;
illud subtiliter in cor penetrat: hoc cruciat; illud delectat:
hoc mortem affert; illud vitam dat. Quām igitur pulchrum
ac decorum est, ab illo vulnus accipere; tam turpe ac probro-
sum est ab amore carnali sauciari. Sensit gravitatem hujus
teli vel in ipsis fabulis fortissimus alioqui & gravissimis assuetus
oneribus Mars, qui sagittā Cyprii Cupidinis percussus, ita per- ^{Anacreon,}
cussorem alloquitur: *Gravis est, aufer illam.* Sensit Phœbus
dum Leucothoës amore tactus totus pallere cœpit, de quo ita
Poëta:

Deficis interdum vitiūmque in lumina mentis

Metam. 4.

Transit

Nec tibi quod Lunæ terris propioris imago

Obstiterit, palles, facit hunc amor ipse colorem.

Nam, ut idem alibi canit: *Pallidus omnis amans.* Et quidni
pallidus ex plaga adeo gravi, pestifera, funesta & omnino
mortifera? cùm contra jaculum Divini Amoris formosum,
electum & auratum quoscunque terigerit, rubidos, vegetos, &
hilares reddat. Argumento sit Sanctus Ignatius de Loyola,
de quo Petrus Ribadeneira scribit: *Ita mens ejus inflammaba-*

*Lib. 5. vi-
ta c. 1.*

tur interior (amore DEI) ut facies etiam accenderetur, & tota
 (quod s̄epe animadvertisimus) quodammodo ignesceret. Argumento sit Ignatii filius B. Aloysius Gonzaga, cui Sancta Magdalena de Pazzis hoc dedit testimonium: *O quantum amavit in terris! ideo fruitur Deo pleno amore in cœlis; & sagittæ in cor Verbi ab illo vibrata, nunc in corde illius dulciter requiescent.* Argumento sit S. Teresia, cuius præcordia Seraphico jaculo subtilissimè transverberata, tantum in ea excitârunt vigorem ut maximè arduum emitteret votum, efficiendi semper, quidquid perfectius esse intelligeret, quasi vires humanis majores ex illo vulnere accepisset, ut verè accepit. Edissere nobis atque dic & tu Seraphice Francisce, quid sint plagæ istæ in medio manuum ac pedum tuorum & in medio lateris tui, quid sint, inquam, plagæ illæ tuæ crux jugiter stillantes: His plagiatus sum, ait, in domo ejus, qui diligit me, Amoris mei JESU. Verè amoris plagæ ejusque incentiva, qualiter eas appellat S. Mater Ecclesia, dum orat: *Domine Iesu Christe, qui frigescente mundo, ad inflammandum corda nostra tui amoris igne, in carne Beatissimi Francisci, Passionis tuae sacra stigmata renovasti.* Edissere Catharina à Senis, quis caput tuum totamque densis spinis ceu totidem sagittis compunxit, confixit, convulniveravit? Dices utique: *Hac me sponsam suam coronâ decoravit roseus Amor meus.* Sed neque tu Catharina filia Sanctaque æmulatrix Rosa Limensis cuspides & acus tuas sub florido lerto ultra occulta, sed pande, quis te verticem tenerum sic compungere docuit? Non alius, inquires, quam qui annulo suo subarrhavit me Amor meus Christus, cui sinè spinis & sanguine ROSA placere non potui. Nec præterire hic possum Venerabilem Virginem Hispanam, sæculi nostri miraculum, Marinam de Escobar, cui DEUS tantos favores, gratias, tanta familiaritatis intimæ exhibuit argumenta, ut fidem humanam superare viderentur, nisi tot luculentis testimoniorum & auctoritatibus roborata sanæ ac DEUM exportæ menti omnem

Zachar. 6.

Vitæ c. 3.

omnem illusionis eximerent suspicionem. Hanc usque adeo sibi dilectam amicam putatis idem ejus Amor sine vulnere reliquit? O quoties in ea stigmata sua renovavit! quoties ejus manus, pedes ac latus perforavit! quoties eam sentibus, lan- ceis, sagittis & id genus telis petivit! Audiamus illam ipsam de se ita scribentem: *Facebam affixa lecto junctis manibus, vidig⁹ subito in quantum mihi illam DEus voluit manifestare, Divina ipsius omnipotentiam, omnē magnitudinem, totum ejus divinum & infinitum Esse, ita ut summe fuerim attonita & internè obstupefacta. Interea vidi, quod ex Majestate illa Domini DEI, ac tertia persona Sanctissima Trinitatis, inciperent prodire potenter, quasi eas emitteret ille Divinus Spiritus, quadam parva aurea sagitta, instructa cuspidibus chalybeis, quarum singularis sauciaavit valde ac vehementer istam pauperem creaturam in pectore, humeris, parte dextra & sinistra cordis cum magno meo dolore: ad dorsum ceciderunt tres: una in medio & due in humeris atque alia ad manus & pedes.* Vulgo dicitur: Amor quem similem non invenit, similem facit. Idem omnino est anterioris divini genius: vulneratus ipse, cruentatus & sanguine rubens est; vulneratos esse vult, quos diligit. Haec ejus tessera, haec nobilitatis insignia, sic suos nobilitat. In historia Bohemiae legimus: Cum A. 1116. Bohemos inter & Hagek. A. Ungaros acre prælium committeretur, jämque Bohemi desperatis rebus fugam darent, unum aliquem Molitorem Georgium de Daupovva virum cum primis robustum & manu promptum fugientes stitisse, unaque cum ipsis iterato in hostes conversum tanta contentione dimicasse, ut quam plurimi hostium casis, nonnullis etiam acinace suo bifariam disseptis talorum tenus in sanguine vadaret. Parte nobili victoriā à Duce suo Wladislaō evocatus cum ei manum porrigere vellet, prius cruentum (nam tres digitos affectos habebat) ab ea detergens tres strias in alba ueste sua ante pectus sanguineas duxit, quæ illi mox à Duce pro insigni nobilitatis attributæ, &

In Vit. I. 6.
c. 6. §. 1.

50 Diei IV. infra Octavam Nativitatis Domini,

Pausan. in.
Boet.

usque hodie posteri illius de Daupovva ejusmodi strias seu lîneas rubras in albo campo pro Insigni gerunt. Meminit Pausanias Menecei Creontis Regis filii, qui cum sepe oraculo Delphici Apollinis pro Rep. victimam devovisset, ac interemisset, ad ejus tumulum malum punicam enatam, cuius poma cum maturuerint, rupto exteriore cortice, sanguinis nescio quid simile ostendunt. Malum punicam nobilitatis ego gloriam dixerim, quæ illustriore satu nunquam enascitur nisi sanguineo: quo satu etiamnum hodiisque ante alias familias gloriatur nobilissima & gloriofissima Domus Austriaca, è qua velut pulcherrima Arbore Punica tot Archiducum, Regum atque Cæsarum fœcunda Malogranata prodierunt hodieque procedunt. Vetusta huic Insignia sunt linea candida in campo rubro, quoru origo Leopoldi Austriæ Duci in via virtus fuit: Cum enim Heros iste, ut refert Cuspinianus, muros Aiconis primus suorum superasset, albo paludamento induitus, ægrè à suis agnitus est; concrecente enim & quasi obrigescente ad tantam virtutem hostili sanguine, adhæsit tam arctè paludamento baltheus, ut eo toto cruentato, baltheoque sublato alba linea tantum maneret, quæ scilicet antè baltheo tegebatur. Hinc Domus Insignia tantæ virtutis æterna monimenta. Similiter ferme res habet cum Sanctis Dei, qui eo ipso quod amici DEI sint, & per potentiam, ut in Scholis loquimur, obedientiam ad hanc amicitiam elevati, nobilitatem consequuntur. Virtus enim nobilem facit, ait Tiraquellus, idque tum è sacrificiis profanis auctoribus latissime probat, allegans inter cætera illud de Samuele 1. Reg. 9. Ecce vir Dei est in civitate hac, vir nobilis, &c. quæ ejus nobilitas non à majorum claritate (hinc enim obscuro genere erant) sed à veritate oraculorum sanctitatemque operum, &c. quod est caput, à conjunctione cum Deo declaratur: Secundo item capite Deus ibidem ait: Quicunque glorificabit me, glorificabo eum: qui autem contemnet me, erunt ignobiles. q. d. illos nobilitabo, hos in sua ignobilitate relin-

Tiraquel.
de Nobilit.
c. 4.

1. Reg. 2.

relinquam; quid enim peccatore ignobilius? ita serè inter-
pretatur locum hunc Doctor Seraphicus, ubi docet juxta prae-
sens miraculum, Sanctos, qui viventes Deum glorificârunt,
prae hujs seculi Principibus etiam post mortem glorificari.
Quia hic Sanctus N. (inquit sermone de uno Martyre) Deum
honoravit, ipsum DEUS gloriosum effecit. Qui unquam Re-
ges, qui Principes, qui Barones, aut Nobiles sic à Mundo hono-
rantur, ut Martyres? imò ut Martyrum crura? Major longè
honor exhibetur Stephano sive Laurentio, quam Alexandro,
sive apostata Juliano, &c.

VII. Jam verò sicuti diversa sunt Sanctorum merita, ita
non eadem omnium Insignia; Sed, quomodo inter Regna
terrestria, huic pro Insigni sunt v. g. *Turres* (a) alteri *Lilia* (b)
alii *Leo* (c) alii *Aquila* (d) alii *Crux*, (e) &c. ita Sanctorum Con-
fessorum Insigne est *Turris fortissima Nomen Domini*, quod
confessi sunt; *Virginum Lilia*, propter candorem virginita-
tis; *Doctorum Aquila* ob doctrinæ sublimitatem; *Prædica-
torum Leo* ob ardenter zelum; *Anachoretarum ac Cœno-
bitarum Crux*, propter pietatem & sui mortificandi studium;
Martyribus *Campos rubros* meritò attribuerimus, ut qui san-
guinem suum liberaliter DEI causâ fuderint, & *aspersus est* *Izai. 63.*
Sanguis super vestimenta eorum, & omnia indumenta sua for-
titer certando inquinaverunt. Sed enim hodiernis SS. Inno-
centibus *alba insuper linea* *Campum rubrum* interfecans per-
quam appositè convenit, qui innocentia candorem cum san-
guinis purpura pulcherrimè conjunxerunt veri Austriaci &
Milites illius Domini, quem ab Austro venturum prædixit
Propheta, dum cecinit: *Dominus ab Austro veniet*, (id est à *Habac. 3.*)
Bethleem, quæ ad Austrum est respectu Hierosolymæ, inter-
prete Hieronymo, &c.) & cum eo Sanctorum (i.e. Innocentum
Bethleemiticorum) *milia*. Felicem te ac ter felicem Sacra-
tissima Domus Austriaca, Domus Bethleemitica, quia Domus
Eucharistici Panis præbentis delicias Regibus, felicem te, in-
G 2

Bonavent.
ser. 2. de
uno Mar-
tyre & or-
dine 14.

^a Hispaniæ.
^b Galliæ.
^c Bohemiæ.
^d Poloniæ.
^e Hungariæ.
Prov. 18.

(Habac. 3.)

Gen. 49.

quam,

quam, quæ gemina, ex tot millibus Sanctorum istorum tibi
concolorum corpuscula in tuis clenodiis hodie asservas! Effi-
cient illi, ut potentes apud suum Ducem sint, efficient nè des-
ciat scepterum de te, & Dux de fomore tuo, qui regat populum
Sanctum DEI, populum Christianum multum nimis, donec
auferatur, Luna Ottomannica, & secundò adveniat, qui mit-
tendus, seu potius qui venturus est, & ipse erit expectatio tua,
dilectus tuus candidus & rubicundus.

Psal. 71.
Gen. 49.
Cant. 5.

DIES V. INFRA OCTAVAM NATIVITATIS DOMINI

Consideratio V.
Jesulus nascens Amor nudulus
ac frigens.

Nudus egressus sum de utero Matris meae.

Job. 1.

I.

Quamvis Amore nihil sit notius, nihil celebratius; de
Natalibus rāmen & origine Amoris non æquè inter
veteres convenit. Plato in symposio Phædrum in-
ducit ità de Cupidinis genere differentem: *Quod magnus
Deus sit, & hominibus Deisque admirabilis Cupido, id jam com-
pertum est sapius cùm in aliis tum in iis qua ad ejus originem
spectant præcipue. Neque enim me praterit esse quidpiam præ-
clarum inter antiquissimos Deos recenseri: Cupidinis autem Pa-
rentes neque sunt, neque ab ullo vel privatorum, vel Poëtarum
fuisse dicuntur. Hesiodus in sua Theogonia Amorem sive Cu-
pidinem ante omnia ex illa informi materia, quæ Chaos dicta
est, in lucem eductum docere videtur, cùm ità scribat:*

Ante

*Ante Chaos natum: superum firmissima sedes,
Inde solum terra latet; tum tartara nigra
Intra adytum terra & feralia claustra barathri:
Inde ortus superos inter pulcherrimus omnes,
Dulce Deum pariterque virum gratumque Cupido
Solamen, qui corda domat, mentesque feroce.*

Theocritus è Diis quidem parentibus Amorem natum esse ar- Theocr. in
bitatur, at è quibus non affirmat propter variam & difficilli- Hylæ.
mam cognitu ejus originem. Non defuerunt, qui Saturni
filium dicerent, ut Orpheus: Sappho Poëtria Cœli ac Terræ
progeniem, Simonides Martis & Veneris, Arcesilaus Noctis &
Ætheris, Alcæus Zephyri. Pausanias omnium Deorum na- Pausan. in
tum minimum vulgo creditum dixit. Et hæc quidem fabulosa Boëticis.
de Amore commenta Ethnicorum fuere: Sanctius D. Ber-
nardus: Non debet, inquit, latere, de Amore, de quo agimus, Bern. de na-
quibus ortus sit natalibus, quâ nobilitatis lineâ insignis habet-
tur, vel quo oriundus loco. Primus igitur ejus nativitatis lo-
cus Deus est, non advena, sed indigena à DEO enim solo Amor
datur, & in ipso manet. Manet & manebat ab æterno ex utero
Divinitatis ante luciferum genitus: & his diebus mundo datus
& secundum carnem humana generatione natus. Sed qualis
& in qua forma natus & datus? Totus nudulus ac pauper, non
habens ubi vel caput reclinet, vel nudula membra operiat. Hic
jam sententiam Platonis non probare non possum, qui tam-
etsi primum nullos Amori parentes tribuit, subinde tamen
eum Paupertatis & Abundantiae filium haud dubitavit assere-
re; id quod in Amore divino hodiè luculentè verificari, præ-
senti discursu illustrabitur.

II. DEUM Opt. Max. solum verè divitem & abundantem
esse, cùm sit Dominus cœli & terra, & det omnibus affluenter,
satis superque Divinæ prædicant paginæ. Proverbiorum 8.
Mecum (ait Sapientia æterna) sunt divitiae & opes superbae, i.e.
sublimes vel, ut alij legunt, valide, antiqua, stabiles, duratura:

Psalm. 49.

Rom. 10.

Psalm. 49. *Meus est orbis terra & plenitudo ejus: mea sunt omnes feræ sylvarum, &c.* Ad Roman. 10. *Dominus omnium, dives in omnes, id est, ut aliqui vertunt, affluens, liberalis, munificus, immo ipsa affluentia, liberalitas & abundantia.* Hujus Abundantiae non minus abundans, nec minus liberalis Filius, *in quo sunt omnes thesauri divinitatis absconditi, ut suam liberalitatem ac munificentiam erga genus humanum luculentè demonstraret, omnia sua eidem donavit nudus omnino remanens, nudusque de utero pauperculae Matris ad nos prodiens.* Habet enim hoc sibi solenne Amor, quod sese in amatum ita effundat, nihil ut sibi retineat, egere ipse gaudens, dum abundet ille; *Aridus & scualidus* (verba sunt Platonis in conub. amoris) *nudis pedibus, semper humili volans, sine domicilio, sine stramentis & tegmine ullo.* Hinc etiam veteres Amorum nudum pingebant, ut pateat, quod in amicos omnia effundat, inquit Abulensis! confirmatque id ipsum exemplo Jonathæ regias suas vestes charissimo amico Davidi impertientis: *Expoliavit se Jonathas tunicā, quam erat indutus, & dedit eam David: & reliqua vestimenta sua usque ad gladium & arcum suum & usque ad baltheum.* Nihil erat, pergit Abulensis, per quod tantum indicari possit affectus Jonatha erga David, quam dando ei vestes suas omnes; quo non potuit esse convenientius, quam dando ei omnia illa, quae erant sibi immediata: nihil autem immediatus erat sibi quam vestes. Dare ergo hie omnes illi, erat quasi seipsum totum dare, quia vestes dedit usque ad carnem. Et unus alias interpres: Potuit, inquit, Jonathas Princeps Israël auri & argenti vim, gemmas & monilia, primitias amoris tradere amico, sed maluit vestes, qua liberalitas mysterium amicitia fuit: per hanc ceremoniam consecravit Davidem, alterum se. Ubi recte subjungit amicien- Hugo in 1. do amicos, aut ab amicis amicire derivatum esse. Jonathas est Christus, inquit Hugo Cardinalis, multum amabilis ipsaque amabilitas: *David quilibet nostrum, sive genus hu-*

Abulensi. de
Jonatha.
I. Reg 18.Nierem-
berg. stro-
mar. l. 7. c. 8.Hugo in 1.
Reg. c. 18.

humanum. Vestimenta hujus Jonathæ, qualia describit Jo-
annes in Apocalypsi (*vidi similem filio hominis vestitum pa- Apoc. 11.
dere & præcinctum ad mamillas zonâ aureâ*) divinitas ejus-
dem & regia dignitas, ut explicat Rupertus. His ille vestimen-
tis pauperculum istum Davidem suum amicavit, quando ven-
tre virginali Carne amictus prodiit; quod beneficium consi-
derans Ecclesia in hunc modum exclamat: O admirabile com-
mercium! Creator generis humani animatum corpus sumens
larginus est nobis suam Deitatem. q. d. suis vestibus nos induit;
nuditatem carnis nostræ & grossulos aliquor panniculos reci-
procè ex nobis recipiens. Videre jam verum Paupertatis Fi-
lium! Vagit infans inter arcta Conditus præsæpia. Membra
pannis involuta Virgo (eademque Paupertas) Mater alligat.
Et DEI manus pedesque stricta cingit fascia. Alget, riget, tre-
mit, qui omnes & homines & pecudes & herbas vestit. Non
focus, non ignis, non calidum cubile tremulis artubus confo-
vendis præsto est; dum interim malè materiatum mapale ri-
gidi Aquilones perlant, densique nivium flocci plumarum in
vicem straminea insternunt cunabula. Soli bosculus & asel-
lus halitu suo utcunque adversus hyemis injurias defensant.
Ubi estis agnelli, ubi villoſæ vulpeculæ, ubi lepusculi, ubi gra-
ciles cuniculi, ubi anserculi, ubi olorculi, ubi zibellini catuli?
Cur vestra vellera, vestros vilos, vestras pelles, vestras plumas
cumulatim hoc non confertis & Dominum vestrum non co-
gnoscitis, non tegitis, non fovertis, sicut cognovit bos posseſſo- Isai. 11.
rem suum, & asinus præsepe Domini sui.

III. At at nihil horum sit vobis curæ: non curat vellera ve-
stra, non curat vilos, non plumas, qui totus apertus esse amat;
hinc Poëtarum nonnemo cùm de Amore quæſisset: Cur sine Marullus
veste Deus? protinus sibi ipſi ita respondit: Simplex puer odit epigr. de
opertum. Odit opertum Amor noster; sicut enim omnia
nostra nuda & aperta sunt oculis ejus: ita reciprocè omnia il-
lius, & maximè cor, nuda & aperta esse vult oculis nostris; pro
aperta

aperta vertit ex græco Theophylactus decollata, Chrysostomus excoriata, ut sit metaphora ab ovibus jugulatis & excoriatis. q. d. sicut oves pelle sua excoriatae à collo ad caudam usque nudæ sunt, & omnia earum extima & intima revelantur; sic in Christo ipsa etiam intima pectoris arcana cordisque cogitationes nobis patescunt; id quod veteres pulchro expressere symbolo, dum amicum pingere volentes, pingebant adolescentem nudo capite, hirsuta & pannosa veste; latus habebat usque ad cor apertum. Fronti inscriptum legebatur: *hyems & astas.* Cordis epigraphe erat: *Propè & longè.* In ora vestimenti intexebatur: *Vita & mors.* Adolescentia significabat amicitiam nunquam senescere debere, sed velut in prima infancia semper permanere; pannosa vestis innuebat, amicum pro amico ardua quælibet tolerare oportere; detectum caput, amicum nunquam esse negandum; latus apertum, amico n'il celandum. *Hyems & astas*, quia amicus tam in prosperis, quam adversis Leges amicitiae conservat. *Propè & longè*, quod veri amici etiam absentes tanquam præsentes se diligant. *Mors & vita* quod verus amicus usque ad mortem amet. Quid horum ad vivum non expressum in Christo nato vivo amicitiae veræ exemplari requiramus? Cujus in genus humanum amicitia adeo non senuit, ut, cum dilexisset suos; quod de illo testatur Joannes, *in finem*, id est, eodem semper tenore ac teneritudine dilexerit eos; tanta tamque ardua pro iisdem perpetiens, quanta nemo aliis, extremum ne pannos quidem retinens nudus in cruce mortuus, carne suâ deificâ plagiis in tantum conscißâ, ut ovi excoriatae similis appareret, latere ad ipsum usque cor militis lanceâ aperto, ut planè perspicue pataret, 'quidquid intra ejusdem cordis adyta de nobis cogitaret. Cogitârat aliquando incendio delere Sodomitas eorumque Pentapolim, quod id enormia scelera ipsorum clamitando exposcerent: atque hoc tam secretum consilium intra se continebat non potuit, quin illud sibi cum primis dilecto servo Abraham

ham manifestaret: *Cum surrexissem viri* (Angeli qui ad Abraham venerant) *direxerunt oculos contra Sodomam;* & Abraham simul gradiebatur deducens eos: *Dixitque Dominus* (medius est tribus, quem personam Filii DEI gessisse, docent Patres) *Num celare potero Abraham qua gesturus sum?* Non celavit, sed mox itineris sui causam pandens: *Clamor, ait, Sodomorum & Gomorrhæ multiplicatus est,* &c. *Descendam & video utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint,* &c. Si in lege veteri, lege, liceat dicere, servili tanta fuit DEI cum servis suis communicatio; quanta non erit in lege nova gratia! Audiamus quid alicubi dicat charissimis Discipulis: *Jam Joan. 15, non dicam vobis servos, quia servus nescit, quid faciat Dominus eus:* *Vos autem dixi amicos: quia omnia quaecunque audiri à Patre meo, nota feci vobis.* M. Tullii, qui de Amicitia præ aliis eleganter scripsit, sententia est: *Quid dulcius, quam habere, quo cum omnia audeas sic loqui, ut tecum?* Item: His (inquit) finibus utendum arbitror, ut cum emendati mores amicorum sint, tum sit inter eos omnium rerum, consiliorum, voluntatium sine ulla exceptione communitas. In eundem sensum abit & Seneca, dum monet: *Diu cogita, an tibi aliquis in amicitiam recipiendus sit; Cum placuerit fieri, toto illum pectore admitte.* An non toto pectore in cor suum Discipulos admisisse censendus est Christus, quando omnia, quæ audivit à Patre, illis nota fecit? Et quid non audivit, quando totam Patris scientiam & sapientiam participavit? quanta non ibi secreta! quam abdita consilia, quam alta quam profunda judicia! ut exclamat Paulus: *O altitudo divitiarum sapientie & scientie DEI: quam Rom. 11. incomprehensibilia sunt iudicia, & investigabiles via ejus. Quis enim cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit?* Cognovisti tumet ipse ò Paule: ipse consiliarius fuisti, dum in tertium cælum raptus audivisti arcana verba, quæ non licet 2. Cor. 12. homini loqui. Audivisti haud dubie (neque negare potes) mira de Angelorum natura, dotibus, gratia, gloria, ordinibus,

Gregor.
hōm. 4. in
Ezech.
Chrysost.
h. l.

Baron.

Joan. 21.

Prov. 3.

Hieron. in
Psalm. 98.

Luc. 16.

Ludovic.
Cresollius.

ut Magnus opinatur Gregorius. Audivisti inscrutabilia de diuinis attributis, de gloria Christi ejusque Evangelio, ut tuus censem Chrysostomus. Audivisti altissima DEI consilia de Gentium, ad quas mittendus eras, prædestinatione, vocatio-
ne nec non reprobatione, ut existimant alii. Audivisti deni-
que arcana de œconomia, regimine ac successu Ecclesiaz præ-
sentis ac futuraz, qualia audivit in Apocalypsi sua Coapostolus
tuus Joannes, Discipulus quem diligebat Jesus, qui & recubuit
in cana super pectus ejus, & fluens Evangelii de eodem ipso
sacro hausit pectore, ut canit Ecclesia.

Nimirum simile gaudet habere simile? simplex & apertus
Amor simplices & apertos querit, & cum simplicibus sermoci-
natio ejus, vel, ut est in hebræo: Secretum colloquium ejus. Hi
immediati ei sunt, non secus atque corpori vestimenta, imò
vestimentorum loco, teste D. Hieronymo, qui illud Psalmi:
Dominus regnavit, decorem indutus est, &c. ità explicat: *Do-*
minus regnavit & indutus est Patriarchis & Prophetis & po-
pulo credenti. Decorem indutus est: quia Patriarche & Pro-
pheta (nec minus Apostoli) quasi Christi ornatum fue-
runt, quorum pene omnium hæc elogij summa est: Vir
erat simplex & rectus. Adamus quamdiu nudus in statu in-
nocentiaz & simplicitatis incedebat, familiaria cum Deo collo-
quia miscebat: ast ubi perizoma sibi consuit, vestemque pel-
liceam induit, protinus ceu versipellis & duplex à facie DEI
ejectus est. Dives ille Evangelicus, qui induebat purpurā
& byssō, sepultus est in inferno: nudus è contrario Lazarus in
sinum Abrahæ deportatus. Non rectè proinde sentiunt filii
hujus seculi dum existimant, animam, quæ post corporis sce-
nam latet, nec videri, nec magnificentiam suam ostendere
poteat, in externo vestimentorum apparatu, in purpura &
byssō, in sericis lanis, quodammodo translucere. Imò verò sic
vel maximè obscuratur & crassescit, cùm nihil eam, utpote na-
turā sua subtilem ac spiritualem ita venustet ac auditas; unde
etiam

etiam quoties à pictoribus animas depingi videmus, semper investes ac sinè omni integumento conspicimus.

IV. Nè itaque de vestimentis Christo nudulo operiendo solliciti simus, ipsa nuditas, ipsa simplicitas, ipsa rectitudo, ipsa justitia & devotio nostra optimum illi vestimentum, optimū ornamentiū est, quale conficiebat innocentissima, rectissima, & devotissima virgo S. Rosa Limensis: Quæ cum comperisset Vit. c. 18. dictante historia S. Catharinam Senensem aliquando latenti sub forma pauperis Christo dedit vestem, excogitavit ergo & amans Rosa methodum ac rationem, qua Christum induimento spiritualibus laciniis operosè contexto decentissimè amiciret, nusquam is sibi occurrebat pauperior quām ubi in Bethlehem nascebatur parvulus, nudus, cum inopi Matre, extorris diversorio, algens in stabulo. Lubet hīc ex ipsis Rosæ pugillaribus recitare formulam, qua sibi hoc opus præfiniebat. Jesus anno 1616. favente & auxiliante JESU Christo suāque benedicta Matre incipio parare vestimentum dulcissimo meo JESU nascituro tremulo, nudo, egeno in Bethlehem indusiolum sunto 50. Litaniæ 9000. rosaria, 5. dies inediæ in reverentiam SS. Incarnationis. Panniculi constanti novem stationibus ad S. Eucharistiam, 9. tridentibus Psalterii rosariani & 9. diebus jejunii pro numero mensium, quos in utero purissimæ Matris exegit. Stragulis, 5. dies esuriales 5. stationes totidemque integra rosaria impendunt pro honore sui natalis. Præbento 5. coronæ Domini. 5. dies inediæ, totidem stationes in reverentiam suæ circumcisōnis. Hæc Rosa. Quod genus indumenti, quām parvulo JESU gratū sit ostendit & cuidā adolescenti de quo Bidermannus & alii, qui cum nocte Nativitatis Domini corde præter morē arido (nam aliæ cœlestibus deliciis copiosissimè affluebat) in precibus persistens ipsum Divinū parvulum præstolaretur, audit quasi circa portam foris nonnihil adstrepentis, & portâ pulsu tenero pulsatâ ingredi postulantis cuiuspiam signum. Jubet ingredi. Ingreditur expectatus ille

amoris, ille deliciarum DEus JESUS. Radiabat ab Hospite parvulo conclave felix. Flectebat adhuc admiratione & amore quasi alatus, & jam in parvulum velut involaturus adolescentis, nisi celeritate amabili parvulus prævertisset. At frigore rigidulus, utpote propè nudus tremebat, accedebat, gemebat gemmantibus oculis & se frigere singultu tenero acerbissime querebatur coelestis hospes. Quare extremam vestis, quam adolescentis tegebatur, oram molli manu prehendit, sequi illi insinuans illâ se quoquo modo contexit. Petebat calefieri, sed ille interea adolescentem pulcherrimo calore penetrabat toti refusus cordi. Similia scribit de Patre Emmanuel Sæc Soc. JESU P. Allegambe & P. Bonifacius: Is cum sub Adventus ingressum ad B. Virginis iconem prostratus quereretur, quod in omnibus Christi mysteriis flexanimi cordis dulcedine abundaret, circa nascentem tamen JESUM durus esset ac pumex; petiit à B. Virgine & per illam à JESU per intimas preces, per lacrymas, per acres sui diverberationes, ut tenerior esset in devotionem, in calores cordis, in virtutem. Sentit respondentem cordi suo virginem & petita promittentem. At spes præter spem longior differebatur ferè ad periculum spei. Quare in ipso nascituri JESULI pervigilio preces & flagella ingeminauit Emmanuel, sed præter spem adhuc nihil. Tandem ipsa divina illa nocte priusquam ultimum ære campano signum daretur ad matutinas preces, audit Pater moilicolo indice leniter pulsatas cubiculi sui fores. *Ingredere*, inquit, & videt! Ingrediebatur ad Emmanuelem Emmanuel tenerrimæ pulchritudinis puer, cordis desiderantis magnes preciosissimus, & ab omnium oculis & cordibus amari dignus JESUS, ajebatque fidenter: *Quæso Pater tege me, quia frigore totus algeo.* Sensit se arcanissimo calore mirè affici, torumque intimè impleri inexperta quadam beatitate, & vestem hospiti parvulo injecturus accurrit. Sed momentum id fuit! nam parvulus modicum visus æternum deliciarum pondus reliquit in corde Emmanuelis

Allegambe
in Biblio-
thec. pag.
103.
Bonifac.
hist. Virg.
l. 2. ex Ja-
ponic. hist.

Muelis discedens. Apposito ad rem præsentem paradoxo D. Augustinus parvulum JESUM flammam frigentem appellavit. Aug. serm. Est enim antitypus sacri illius ignis, quem Judæi Sacerdotes, 9. de Nativ. cùm in Persidem abduceretur populus, acceptum de altari oc- 2. Machab. culte absconderunt in valle, ubi erat putens altus & siccus, & in eo contutatis sunt eum, ita ut omnibus ignotus esset locus. Cùm autem preterissent anni multi & placuit Deo, ut mitteretur Nehemias à rege Persidis: nepotes sacerdotum illorum, qui absconderant, misit ad requirendum ignem: & sicut narraverunt nobis, non invenerunt ignem, sed aquam crassam, i. e. concretam. Et iussit eos haurire & afferre sibi, & sacrificia, quæ imposta erant, iussit Sacerdos Nehemias aspergi ipsa aqua, & ligna & quæ erant superposita. Utque hoc factum est & tempus affuit, quo Sol refulxit, qui prius erat in nubilo, accensus est ignis magnus, ita ut omnes mirarentur. Latet in spelunca Bethleemitica absconditus & occultatus Divinus noster Ignis, totusque in glaciem gelidam concretus videtur: at posteaquam in cor ferventis cujuspiam animæ intromittitur mox non modò colliquefieri, sed accendentibus calentium suspiriorum flabellis ita exuscitari, ut universum hominem copiosissimè illuminet, comburat & in se totaliter convertat. Ita, dum sese mutuò fovent ac intendunt, accendit, combustit & in se convertit cor P. Bernardini Realini è Soc. JESU. Is ubi ipsa nascentis parvuli frigida nocte pro sacro tribunal in tem- plo penitentibus operam daret, totus frigore deriguerat, cùm non nisi æstivis vestibus uteretur. Ad conclave reductus mentem ac suavissimum nascentis JESU mysterium elevavit; & ecce divinam coelestium Spirituum Reginam gloriae comitantium melodiam! Inter dulces Bernardini lacrymas & co- natus Angelicos Virgo Mater parvulum dilectum suum ea nocte natum infantem Bernardino in charos & jam non ignotos sinus concessit. Plus quam dimidiā horæ partem in il- lis cum paryulo deliciis posuerat felix Bernardinus, cùm Supe-

Jacob. F. ligatt. vitæ
c. 16.

riorum jussu adfuit quispiam qui seni calefaciendo ignem afferret. Videbat ille senem in admirabili quodam situ & corporis compositione quasi à seipso absentem & dicentem: *Adhuc modicum Domina, adhuc modicum.* Adeo verò illum dulcis ille è MARIÆ sinu igniculus calefecit, ut non solum corde toto arderet, verùm nè corpore quidem quidquam eo anno à frigore pateretur. *Si dormierint duo, fovebuntur mutuò*, ait Ecclesiastes. Quinam illi duo? pulchrè Hugo Cardinalis Christum & hominem intelligit. *Si dormierint duo simul*, ait, scilicet Christus cum homine & homo cum Christo in lecto pura conscientia, de quo Sponsa Canticorum 1. Lectulus noster floridus, rosis charitatis, violis humilitatis, liliis castitatis; fovebuntur mutuò: *Christus enim foveat hominem calore charitatis quam infundit, homo foveat Christum in corde suo calore Sancti desiderii & bona operationis.* Unus quomodo calefiet? Quomodo calefiet homo sinè Christo, lignum aridum sinè igne, cubile gelidum sinè calore? cor desiderans sinè re optata? Pater sanè Alphonsus Barzana S.J. ut hoc calore Sancto caleficeret absque J E S U L O suo cubare nunquam voluit,

Philip. Ale- de quo hac habet Bibliotheca Scriptorum ejusdem Societatis: gambe in „Infantis JESULI memoriam grata veneratione recolebat, ha- Biblioth. „bebátque semper signum ipsius arte sculptoria formatum, Script. S.J. „quod per noctem sibi ad lecti caput admovebat. Id cùm in „extrema ægrotatione fuisset nocte quadam oblitus, & infir- „morum curatorem inclamaret, ut suum sibi dilectum porri- „geret, ipse se stitit coram Patre infans dicens: *Ne fatigere, en hic ego tecum sum!*

Eja dulcissime Amor sis tu mihi quoque tori socius! en cor-
dis mei lectulum tibi offero, hispidum quidem illum ac stra-
mineum, futurum tamen ex consortio tuo floridum, consor-
tio, inquam, tuo, qui totus floridus, totus Nazaræus es. Hic
te inveniat anima mea semper, hic tu suaviter requiescas &
cubes tam nocte quam meridie, & non sit qui exterreat. Sed
heu mihi! (licet mihi cum S. Rosa querulari) Heu

Heu mihi! dilectum quis detinet! Ecce moratur:

Hora duodecima est, nec tamen ille venit!

Langueo! deficiunt oculi! præcordia frigent,

Implexas alibi dum trahit ille moras!

Leonard.
Hansen.
cap. 15.

An fortasse ideo, quia coangustatum est stratum meum & pal- Isai. 28.
lium seu tegumentum breve utrumque operire non potest?
præsertim cum tu dilecta sis parvus licet, tamen totius coeli
terramque ambitu contineri non vales. Sed si angustatur stra- August. ho-
trum cordis, dilatentur spatia tuae charitatis. Coangustavi, mil. 10. de-
fator, stratum hoc meum, creaturem in illud admittens imo verbis Da-
peccata, quibus iram tuam merui; verum charitas tua tam
lata est, ut operiat multitudinem peccatorum. mini.
Jacobi §.

DIES VI. SEU DOMINICA INFRA OCTAVAM NATIVITATIS.

Jesulus nascens Amor admirabilis.

Erat Pater ejus & Mater mirante super his,
qua dicebantur de illo. Luc. 2.

I.

Otro Romanorum Imperator semper Augustus adeo rerum à se gestarum magnitudine in stuporem Mundi traxit universum, ut in usitato prorsus cognomine vulgo dici & à tota posteritate nuncupari meruerit **MIRABILIA MUNDI**. Sed longè Ottone major *Mirabilia Mundi* diebus istis in Bethleem natus est; ille nimirum, de quo Propheta rum Alpha longè antè, quam nasceretur, cecinit: *Parvulus natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus*

64 Diei VI. seu Dominicæ infra Octavam Nativitatis,
patus super humerum ejus, & vocabitur nomen ejus **ADMIRABILIS**. Et est enim verò ità admirabilis, ut ipsos met parentes
Lúc. 2. suos rapiat in stuporem: Erant enim Pater ejus & Mater mi-
rantes super his quæ dicebantur de illo.

Arist. 1. Me-
taph. cap. 2. alicujus effectus, cuius causa ignoratur. Admirantur autem
Cic. 2. offic. homines, inquit Cicero, communiter *omnia, quæ magna, &*
prater opinionem suam animadverterant. At numquid præ-
ter opinionem Divæ Virginis erant, quæ à Simeone de ejus fi-
lio dicebantur? numquid non hæc omnia jam antè tum ex
Angelico nuncio, tum Spiritu Sancto revelante didicerat?
numquid non evidenter per scientiam infusam sciebat, Chri-
stum esse *Messiam, salutare DEI, Lumen ad revelationem gen-
tium?* numquid non sciebat illum passum, & fore in si-
gnum, cui contradicetur? quomodo ergo miratur super his,
quæ dicebantur de illo? Simon Cassia & alii ausi sunt asserere
Virginem fuisse admiratam, non de iis quæ dicebatur à Simeo-
ne; Sed quòd ipse Simeon taliter diceret. Verùm hoc sensui
literæ videtur repugnare; sic enim non fuisset *mirata super
his, quæ dicebantur*, sed supermodo, quo dicebantur. Melius
Euthymius. Euthymius, dum ait: *Mirabantur propter ea, quæ priùs didice-
rant, quia adhuc mirabilia percipiebantur*. Quippe (subdit
Græcus author in Catena) *transcedentium rerum notitia,
quoties in memoriam venerit, toties renovat in mente miracu-
lum;* nihil porrò esse transcendentis, adeoque nihil admira-
bile, nisi quod divinum præsenti dictione demonstrabo.

Num. 2. Et in primis: *Nihil in rebus humanis magnum est.* Ità sen-
tit Philosophus, qui agens de virtute magnanimitatis, inter cæ-
teras illius notas & proprietates (quas omnino viginti enumera-
rat) ponit: *Non facile admirari. Nihil enim, inquit, magnum
est in rebus humanis.* Ità Quintus Horatius Flaccus dum ad
Numicium hæc scribit:

Nil

*Nil admirari propè res est una Numici
Solaque qua posse facere, & servare beatum
--- quid censes munera terræ?*

Horat. I. I.
Epist. I.

*Quid maris extremos Arabas dictantis & Indos?
Lucra quid? & plausus amici dona Quiritis?
Quo spectanda modo, quo sensu credis & ore?
Qui timet, his adversa, fere miratur, eodem
Quo cupiens pacto ---*

Ita Samius Pythagoras qui ex Philosophia id se didicisse aje-
bat, nè quid admiraretur, ut refert Plutarchus. At fortasse Plut. de au-
omnes isti lippierunt, neque oculos Nicostrati illius pectoris diendo.
habuerunt, qui cum Helenam Zeuxis contemplaretur, atto-
nito similis stetit, sic ut manifestum esset eum picturam admi-
rari. Tum non nemo ad eum accedens rogabat, quidnam tan-
tam artem admiraretur? at ille: non inquit, me id rogares, si Ælian. L.
meos oculos haberes. Quid? nonne passim celebrantur se-
14. var. hist.
ptena mundi miracula magnitudine sua decantatissima? uti
sunt: Pyramides Nili, Turris Pharia, Muri Babylonis, Tem-
plum Dianæ Ephesiæ, Sepulchrum Mausoli, Colossus Solis
Rhodius, & simulacrum Jovis Olympici. Nonne magna py-
ramides, quarum unam sexcenta hominum millia totis virgin-
tiannis struxisse memorantur? quibus Plinio teste (ut cæteros
sumptus hinc colligas) in solas cepas, & allia, mille octingenta
talenta, hoc est, mille & octingenta millia aureorum sunt ero-
gata. Nonne magna turris Pharia, quæ nocturnis ignibus to-
tum pene Nilum illustrabat? Nonne magni Semiramidis mu-
ri, ducentum pedum altitudine, latitudine vero quinquage-
num; adeò, ut quadrigas inter se occurrentes reciperent, tur-
résque haberent trecentas, plures multò habituri, nisi alicubi
paludes obstitissent? Nonne magnum Dianæ templum, quod
à terra Asia ducentis viginti annis fabricabatur, cuius longitu-
do erat quadrincentorum viginti quinque pedum; altitudo,
220, columnæ vero intus 127. à singulis regibus factæ? Non-
ne

ne magnum Mausoleum, quod Artemisia Mausolo marito
erexit, cuius altitudo attollebatur 25. cubitis, cingebaturque
columnis triginta sex; toto verò circuitu continebat pedes
quadrinquentos undecim? Nónne magnus Colossus, septua-
ginta cubitos altitudinis habens, cuius maiores erant digiti,
quām plerūque statuæ? Nónne denique magnum Jovis si-
mulacrum, de quo canit Propertius: *Jovis Elai cælum imi-
tata domus?* &c. ut multa alia mirabilia taceam, ut taceam Ne-
ronis domum versatilē totam auream, in cuius medio ipse
mensæ accumbens, circum se omnia videbat rotari, & solem,
lunam, planetas, & astra cum orbibus cœlestibus circum men-
sam gyrari; ut taceam domum Cyri Medorum Regis à Mem-
nōne fabricatam, illigatis auro lapidibus; ut taceam Ægy-
ptias Thebas centum portis nobiles; Nónne cum primis mi-
randa fuit Rudolphi Secundi Imperatoris mensa è gemmis, &
maxime Jaspidibus exstructa; ut idcirco eam Nonnus Medi-
cus, octavum mundi miraculum appellārit? In ea fabricanda
plurimis annis & expensis maximis insudabatur; erantq; gem-
mæ tam artificiosis commissuris invicem connexæ, ut sylvas,
flumina, flores, nubes, animalia, & alia visu jucundissima re-
præsentarent, quasi ad vivum depicta. Quid porrò de Phi-
lli boni Ducis Burgundiaæ mensis (ut & convivialia miracu-
la allegem) dicam? nescio certè annulla secula viderint quid
mirabilius. Hic anno Christi 1454. ut illustres ordinis Eque-
stris aliósq; nobiles viros ad bellum sacrum inflammaret con-
vivium inaudito luxu ac magnificētia apparavit. In medio
aulæ tres mensæ stratæ cernebantur. In prima stabant erectum
altè templum, ubi organa resonabant, & pueri tres cum Viro
modulabantur. Dein navis omni genere mercium ac nauta-
rum rebūsque omnibus navalibus instructa, quasi jaētis anchoris
consistebat. Tum prati species, fontes rōfacei, flores, fru-
stūsque exhibiti, quos inter D. Andreæ statua eminebat. In al-
tera mensa multò extensiōri præstabant Artocreas tantæ molis,

ut octo & viginti homines comprehendenderet, qui modò fidibus, modò vocibus argutissimè canendo aures demulcebant. Proximè castrum erat è cuius turribus succus malorum aureorum in subjectam fossam depluebat. Propè lacus ingens Oppidis variis pagisque circumdatus: in medio navis, qui nullo modo vento hinc illinc occultis machinis volitabat. Tertia mensa nemus ostendebat Indicum, ubi varii generis trucésque asperatu feræ, ex opposito verò mensæ fœmina auro pretiosisque unionibus adornata columnæ insistebat, continuè ex ubere dextro vinum cinnamomo & saccharo conditum tempore coenæ diffundens, pone quam Leo vivus, ferreo astrictus vinculo, quasi statuæ muliebris custodem agebat, habens supra scutum argenteum cum hac inscriptione: *Nemo Dominam meam attingat.* Obstupefcitis ipsi ut video, & estis mirantes super his, quæ à me dicuntur. Sed si magnanimi si Philosophi estis, nū miremini; nihil magnum est in rebus humanis. Quo-
modo enim magna dicenda sunt, quæ umbræ instar præter-
volant? ut verissimè Philo Hebræus in libro, *Quod Deus sit im-*
mutabilis: Nihil, inquit, est in rebus humanis, prater umbram. Philo quod
Et aureus Orator: *Nihil in mundo stabile, neque firmum; sed so-*
lum est oculorum deceptio, priusquam appareat, avolat. Ubi Deus immutabilis.
sunt modò illa omnia mundi mirabilia? nè vestigium quidem Chrysost.
eorum super est nam templum Diana incendit nominari in-
dignus Herostratus, Colossum Rhodium fulmen dejecit & con-
fregit, Muri Babylonii redierunt in acervum lapidum, Pharia turris vix locus scitur. De reliquis hoc solum verum est dicere,
quod fuerint: *Fuere Troës, Ilium, Tros, Ilium fuere.* Sed Asca-
nium Martinengum audiamus, qui patheticè istam rerum hu-
manarum levitatem ita exaggerat? ubi Nemrod fastus? ubi
Nini inclytum nomen? ubi Assveri supra viginti septem pro-
vincias dilata sedes? ubi Cyri tot laboribus comparata gloria?
ubi Græci immensum aurum? ubi Darii partum vafrè regnum
Xerxis innumerabiles copiæ sedecim militum Myriades exce-
I 2 dentes?

68 Diei VI. seu Dominica infra Octavam Nativitatis,

dentes? Alexandri vix Indico Oceano & Riphæis montibus terminatum Imperium? Pompei amplissima potentia? Cæsar's invicta fortuna? Augusti amplissima monarchia? Caligulae fecæ voluptates? Neronis inexcitatæ illecebræ? Cleopatæ nimis deliciae? Liviæ Augustæ felicitas? Quoniam loco conspicí nunc possunt, Babylon illa superba, Memphis imensa, Carthago Romani Imperii terror, Argos illustris, Athene disciplinarum nutrices, Corinthus pulchra, Roma triumphans? Quò Cyri Medorum Regia, Romana amphitheatra & cætera mirifica ædificia, quæ nunc prostrata atque collapsa, vix quanta Roma fuerit suismet ruinis edocent & prædicant.

Sanctus Franciscus Borgia Dux Gaudiæ post Præpositus Generalis Societatis Jesu III. cùm cadaver Eleonoræ Augustæ (quæ vivens pro formæ miraculo habebatur) aspiceret, se ipsum tacitus ita increpuit, *In nunc, & fragile illud forme bonum demirare.* Ita cuicunque mundus magnus videtur, considerans tantas rerum usque adeò memorabilium ruinas, eam,

3. Reg. 10.

& fluxam illam magnificentiam admiretur. Regina Saba stupuit sapientiam Salomonis, ut non haberet ultra spiritum: at i nunc Saba, & luctuosum illud vanitatis exemplar demirare.

Æn. I. I.

Mirabatur Carthaginis novæ molem Æneas magalia quondam: at i nunc Ænea, & pulverestantæ molis demirare. Constantius Imperator, cùm post debellatum Magnentium Romanum triumphi causâ se conserret ubi ad Urbem accessit, mirari singula oculis occurrentia cœpit: at i nunc Constanti, & collapsum illud decus demirare. Athanaricus Visigothorum Rex Constantinopolim veniens ac Regiam Imperatoris Theodosii ingressus, totus in stuporem versus: enī inquit cerno, quæ s̄æpe incredulus audiebam: *Sinè dubio DEUS terrenus est Imperator:* at i nunc Athanarice & umbratilem istam Deitatem demirare. Telemachus cùm apud Menelaum ebur aurum electrum spectasset, admirans & obstupefactus exclamavit:

Cranz 1. 2.
Succiae c. 28

Tali-

Taliter aula Jovis nitet intus cuncta regentis;
Copia quæ rerum! cepit stupor aspicientem.

At inunc Telemache & fucatum illum splendorem demirare.
Pindarus, qui, non admirabantur Herculem, stultos appella- Pind. Ode. 9.
vit: at i nunc stulte ipse Pindare, & fragile illud corporis ro-
bur demirare. O utinam universi oculos S. Catharinæ Senen- Num. 4.
sis haberemus! quām nos vera mirabilia videremus! hæc
Sancta Virgo subinde in mentis excessu in tertium cœlum cum
Paulo rapta, ubi ad se redijsset tota attonita clamabat: *Mira, &*
mira! mirabilia, mirabilia ego vidi. Ecquænam illa mirabi-
lia? interrogat, qui illi erat à confessionibus. Quæ nemo, ait,
verbis exprimere potest, quæ, ut loquitur Paulus, nemo sibi
potest imaginari, quæ in cor hominis ascendere non possunt
& respectu quorum omnia terrena arbitranda sunt, ut sterco-
ra. Miracula, à mirando sic dicta, propriè vocantur opera Num. 5.
vires naturæ excedentia; ex quo nōne evidenter sequitur so-
la supernaturalia, cœlestia, sola divina esse admiranda. Quid
mirabilius quām Creatorē fieri creaturam, Immensum com-
prehendi, Omnipotentem exinaniri, Æternum in tempore
incipere? Quid mirabilius, quām Virginem illæsâ virginitate
parere, hominem sínè semine procedere? Ecclesia sanè uni-
versa mysterium hoc non aliter intitulat, quām *mirabile.* *Mi-*
rabile, inquiens, *mysterium declaratur hodie, innovantur na-*
tura, D E U S homo factus est, id quod fuit, permanxit, & quod
non erat, assumpsit. Et aliás exclamat: *O admirabile commer-*
cium! *Creator generis humani animatum corpus sumens de*
Virgine nasci dignatus est, & procedens homo sínè semine largi-
tus est nobis suam Deitatem. Similiter exclamat & D. Augu-
stinus: *O mira & inexquisita compago!* *O inaudita commixtio!* Augustin.
serm. 9.
de nativ.
Quis audivit unquam tale? *Quis vidit huic simile?* Percur-
ramus nunc obiter animo reliquam filii DEI vitam, & nihil
aliud in ea animadvertemus, nisi meram admirationem. Vix
duodecimum annum ingressus fuerat, cum Doctorum Ma-

70 Diei VI. seu Dominica infra Octavam Nativitatis,

gister ipse & Doctor factus est, qui nec literas didicerat, nec
Scholas audierat, tam scitè de sacrī literis differens, ut universi
attinuerit: *Stupebant omnes, qui eum audiebant, super
prudentia & responsis ejus, & videntes admirati sunt.* Matt. 8.
Luc. 2.
navigans cum discipulis super mare, ex ortā tempestate, im-
peravit ventis & mari & facta est tranquillitas magna. Porro
homines, qui erant in navi, mirati sunt, dicentes: *Qualis est
hic, quia venti & mare obediunt ei!* Matt. 9. exēunti ē Ca-
pharnaum oblatus est Dōemoniacus spiritum habens mutum;
quem cūm ejecisset, mirata sunt turba dicentes: *Nunquam
Matth. 13. apparuit sic in Israēl.* Matt. 13. *Veniens in patriam suam Na-
zareth docebat eos in synagogis eorum, ita ut mirarentur & di-
cerent: Unde huic sapientia hac & virtutes?* Marc. 2. post-
quam sanāset paralyticum, eique peccata insuper dimisisset,
tantam in circumstantibus sui excitavit admirationem, ut di-
cerent: *Quia nunquam sic vidimus.* Et, ut alia taceam, quām
admirabilis fuit in sua acerbissima passione, ita ut ipse Judeus
Pilarus, aliique ejus adversarii, vehementer mirarentur ejus
patientiam, mansuetudinem, modestiam, charitatem, inno-
centiam, & prodigia multa, quae circa ipsum fiebant. Jam qui
Marc. 2.
in semetipso tam mirabilis fuit, non minus est *mirabilis in San-
ctis suis*, ut canit regius Psaltes. Nihil dicam de Sanctissima ejus
Psalm. 67. Matre, quae aliquando non dubitavit cuidam amico suo can-
didè profiteri, ex omnibus titulis, quibus ab Ecclesia honora-
tur, nullum sibi arridere magis quād dum intitulatur, *Mater
admirabilis.* D. Joannes Baptista ob asperrimam suam pœni-
tentiam, abstinentiam, vitæque sanctitatem quando stupori
omnibus non fuit, ita ut à multis non homo, sed Angelus cre-
deretur! quām mirabilis non fuit Apostolorum vocatio, ele-
ctio, missio, prædicatio! Stupebant omnes, inquit Lucas,
qui eos variis linguis prædicantes audierant, & mente con-
fusi dicebant: Act. 2. *Quidnam vult hoc esse?* illud verò longè
mirabilius, paucorum operā orbem universum, summósque
Prin-

Principes brevi temporis intervallo Evangelicæ legi carni & mundo per omnia contraria subactos. Quām non mirabilis conversio Magdalena & Sauli Ecclesiæ persecutoris! mirabantur olim Judæi primum suum Regem Saulem in virum alterum commutatum & cum Prophetis unā prophetantem, 1. Reg. 10. arque dicebant invicem: *Quanam res accedit filio Cis?* *Num & Saul inter Prophetas?* mirantur non minus Saulum videntes eum ex lupo in agnum conversum, dicuntque: *Nōnne hic Act. 9.* *est, qui expugnabat in Jerusalem eos, qui invocabant nomen istud, scilicet JESU?*

Non minor, inquit magnus Gregorius, admiratio habita est de D. Paulo Apostolo, quando auditum est ab Ecclesia, quia ille evangelizaret, & qui Ecclesiam cadendo expugnare solebat, nunc prædicando defenderet: tunc quidem si, qui audiebant, dicere poterant: *num Saulus inter Apostulos?* *numquid ille JESUM prædicat, qui JESUM persequisolebat?* Quid jam de Martyrum admiranda patientia, Confessorum abstinentia, poenitentia, & vitae rigore austerrimo, continencia Virginum dicam? non possum sanè eorum gesta pervolvens non exclamare: *Quām mira, quām mirabilia sunt ista!* Quodsi in hac vita tam mirabiles fuerunt, quanti non erunt in æterna gloria, quando universo mundo in die novissimo apparebunt conspicui! *tunc stabunt*, ait facer Sapiens, in magna Sap. 3. *constantia adversus eos, qui se aliquando angustiaverunt;* qui videntes tantam illorum commutationem, turbabantur timore horribili, & mirabantur in subitatione insperata salutis, dicentes intra se: *Hi sunt quos habuimus aliquando in derisu, & in similitudinem improperiis:* nos insensati vitam illorum estimabamus insaniam, & finem illorum sine honore: Ecce quomodo computati sunt inter filios DEI! Ecce qui nobis obscuri videbantur, quomodo nunc fulgent sicut Sol in regno Patris eorum! ecce, qui circuibant in melotis & pellibus caprinis Matt. 13. Heb. 11. in saccis & ciliciis, cinere ac pulvere sordidati, quomodo nunc

Greg. mag.
in lib. 1.
Reg cap. 10.

72 Diei VI. seu Dominica infra Octavam Nativitatis,
incedunt purpurati & stolis amicti candidis! ecce, qui appare-
bant egentes angustiati, afflitti, & mundo indigni, quomodo
nunc apparent opulenti, lætabundi, & deliciis affluentibus!
Quām mira mirabilia sunt ista! Verū serō nimis ista mira-
minitenebriones mundicolarē: tunc cestimare, ut res erant, de-
bebatis; dum tempus suppeditabat bene operandi & merendi,
nos consilium aurei Græciæ Oratoris securi, affectum admir-
ationis Sanctos ipsos imitando in effectum transferamus oportet,
si gloriæ Sanctorum velimus esse participes: *Qui Sanctorum*
merita, inquit, ille religiosâ charitate miratur, quique ju-
storum glorias, frequenti laude colloquitur, eorum mores san-
cetos atque justitiam imitetur: quoniam quem delectat Sancti
alicujus meritum, delectare debet par circa cultum DEI obse-
quium. Quare aut imitari debet, se laudat; aut laudare non
debet, si imitari detrectat: ut qui altum laudat, laudabilem
se reddat; & qui Sanctorum merita admiratur, mirabilis ipse
vita & sanctitate reddatur.

DIES VII. INFRA OCTAVAM NATIVITATIS DOMINI

Consideratio VII.

Jesulus nascens Amor lactens &
lacteolus.

Quis mihi det te Fratrem meum, fugentem
ubera Matris? Cant. 8.

I.

August. I.
confess.
Cant. I.

Si, quod ait Augustinus, *Amor suum cuique pondus est;*
tum nullum dulcius matribus, quām pendens ab uberibus
dilecta proles. Dilectus meus nabi & ego illi; inter ubera
mea

mea commorabitur, dicebat illa. Ubera & mamillæ infantum quoddam veluti centrum sunt, in quo illi ita conquiescunt, ut matrem non gravitent; ad mamilas toto impetu ferantur, teste D. Chrylostomo atque dicente: *Nonne videtis quantæ Chrysoſt. promptitudine parvulipapillas capiunt, & quanto impetu labin hom. 60. uberibus infiſunt?* Eit in Græcorum Anthologia perelegans Antipatri epigramma, quod nos olim latinè vertiinus (ait domesticus Poëta & Historicus) de infante ab hoc centro suo exerrante, qui cùm inobservatus ad canalem domus prorepſiſet, jam jámque in præceps iturus nullis matris clamoribus, neque aliâ ratione revocari potuit, quâm ostensis uberibus; protinus enim vertit iter, & è canali rursus repſit ad matrem; *Bis pueru vitam*, canit Poëta Græcus, *lactea mamma dedit*; mamma eadémque mater; hæc enim infantibus sunt synonyma, qui simul ac fari incipiunt, matrem non aliter appellate consueverunt, quâm mammam, quasi mater tota sit uber, cuiusmodi Schemate Ægyptii DEUM expingebant, eò quod ipse det *omnibus vitam*, & ceu optima mater omnes lactet, *Aet. 17.* pascat, ac nutriat. Natura matribus ubera ceu lagenulas largita est ad proles nutriendas, docet nonnemo, addítque, non integras, sed dimidias matres, imò vix matres, reputari, quæ suos infantes aliis tradunt nutriendos; meritóque indignabatur Julius Cæſar, cùm Romæ videret à matronis opulentioribus in gremio catulos vel simias deferri, & rogabat; num filios non parerent, quorum dulce onus & delicias veras circumferrent, quibüsque nutriendis occuparentur? Proponitur nobis hisce diebus ob oculos Virgo puerpera, pretiosum ac speciosum divinumque parvulum gremio complectens; numquid ipsa est mater ejus? est enim verò, & quidem non dimidia, non imaginaria (qualem somniabant hæretici nonnulli, qui Christi corpus aëreum docebant) sed vera, genuina, propria, ac integra mater, ut præsentis consideratione expendemus.

II. Virginem parere matrēmque fieri res adēo paradoxæ

*hom. 60.
ad Rox.*

*Balbin. hist.
Boleslav.
I. 6. c. 29.
Meliſſ. I. 6.*

L. Beyerd.

*F. Patricz.
I. 4. de re-
pub. tit. 5.*

priscis mundis sapientibus visa est; ut cùm oraculo didicissent templum Pacis, quod Romæ exstribebatur, tam diu staturum, donec Virgo pareret, inde quasi evidenter concludere se putabant, illud æternum fore & nullâ unquam ruinâ involvendum. Sed simul Virgo peperit simul oraculo sua veritas stetit. Ruit templum, Virgo parens facta est, enixaque puerpera Regem, Regem seculorum, sed & Angelorum atque hominum, quem, ut Ecclesia canit: *sola lactabat ubere de cœlo pleno.* Ecce veram matrem! sola lactabat sínè cujusquam nutricis adiutorio, sola inquam lactabat, secus quām Reginæ matres plerumque hodie faciunt, quæ suos Principellos, mox ut genuerit, aliis lactandos committunt. Illud porrò à nonnullis hic ambigitur; fueritne lac Virginis miraculose in ea productum, eò quòd dicatur lactasse ubere de cœlo pleno. Ità sentit D. Vincentius, qui docet, Virginem lacte carentem pro lacte Deum deprecatum, & tunc ait, *subito ubera ejus fuerunt plena lacte de cœlo sibi immisso.* S. itē Athanasius asserit, ubera Virginis naturæ consuetæ radicem non habuisse, longèque à naturali consuetudine ac lege fuisse aliena; lac verò peregrino & novo modo fluxisse. At credibilius est naturale fuisse; ubera verò propterea de cœlo plena dici, quia conceptus, qui causa lactis erat, de cœlo fuit: vel certè novo peregrinóque modo lac illud fluxit, quod, uti docet Cyrilus, non ex molitie aliqua seu voluptate natum sit, sed leve esset ac firmum, nullam peccati amaritudinem admixtam habens, sed mellis dulcedinem. Et Guilielmus: *Lac illud, inquit, singulariter candidum, quia virginineum: nec decuit DEUM pasci nisi lacte virgineo.* Idem in illud: *Quām pulchra sunt mammæ tuae: Planè specie & pulchritudine suâ Santos Angelos oblectabant, cùm ab eis penderet speciosus præfiliis hominum, Dominus Angelorum.* Eadem ubera dilectus ipse comparat botris: *Ubera tua, inquiens, sicut botri vineæ, quid botris pulchrius, quid venustius dum instar iridis simul punicant, &*

Cyrill. in
caten. græc.

Guiliel.
cant. 4.
v. 10.

Cant. 7.

flave-

flavescent, simul rubini purpuram, simul Smaragdi viorem, simul cyani amoenitatem imitantur? quid eorum succo dulcius, qui Deum latificat & homines, languentia corda recreat, fractos animos erigit, pectoris nubila serenat, curarum fluctus compescit? nihilominus tamen idem Dilectus non dubitat alio loco dicere *meliora sunt ubera tua*, id est, lac uberum tuorum, *vino*. Quid ita? quia vinum, ut ajunt mellifluus Bernardus & Hugo Cardinalis, aliquid asperitatis admixtum habet, & vim quandam igneam quae homines temulentos facit, parvulis nocet, eosque enecat: *lac verò suaviter bibitur*, Bernard. I.
dulciter liquatur sine lesione, sine amaritudine; estque par- de com.
vulorum cibus & nutrimentum naturale, quo tam diu nutri-
untur, donec solidioribus cibis idonei reddantur. Apud He-
breos lactationi triennii quandoque etiam quinquennii tem-
pus dabatur; sic Isaacum quinquennio lactatum docent gra-
vissimi interpretes; minimum fratrum Machabæorum tri- Genes. c. 21.
ennio maternum lac suxisse ipsa fatetur mater, sic filium in 2. Machab.
tormentis alloquens: *Fili mei, miserere mei qua te in utero no-*
vem mensibus portavi & triennio lac dedi. Porrò ablactatis c. 7.
non continuò caro aut panis in esum dabatur, sed butyrum &
mel apum, quos in Palæstina consuetos fuisse parvulorum ci-
bos, usque dum annos discretionis attingerent, & rationis
usum habere inciperent, patet ex illo Isaiae de Christo vatici-
nio: *Ecce Virgo concipiet & pariet filium, butyrum & mel co-
meder ut sciat reprobare malum, & eligere bonum;* id est do-
nec per scientiam experimentalem sciat discernere inter bo-
num & malum inter dulce & amarum. Cyrilus supra ci-
tatus *butyrum*, inquit, *lac Virginis vocat Prophetæ*, quasi
per hoc indicans Christum tam diu lacte materno alitum,
quoad usum rationis, quem perfectum à puncto conceptio-
nis suæ occultè habuit palam exercere cœpisset, id quod tertio
vel quarto ætatis anno factum probabiliter opinari licet, præ-
fertim cum sciamus ex historiis nonnullos parvulos quadri-

76 Diei VII. seu Dominicæ infra Octavam Nativitatis,

mos aut quinquennes ratiocinari cœpisse. Et sanè quodnam gratius & convenientius alimentum carni Virgineæ, teneræ, delicatæ, & (liceat tenescendo sic loqui) butyraceæ debebatur, quam lac Virgineum, è quo caro illa formabatur atque augmentabatur? eadem quippe materia teste Aristotele, est

Arist. l. 4.
de generat.
animal. c. 8.

quæ alit & ex qua generationem natura constituit, eaque sanguineus humor in sanguinem habentibus est; lac enim sanguis concoctus est, non corruptus. Jobus ulcerosus in fimo clama- bat ad D E U M: Nonne sicut lac mulsisti me, & sicut caseum me coagulasti? at contra Christus in foeno jacens dicere poter- rat: Nonne sicut lac me mulsisti & sicut butyrum carnem meam addensasti.

Bernard.
serm 2. de
adv. Dom.

Pulchrè D. Bernardus: Duo sunt in lacte ovis; butyrum & caseus, butyrum pingue & humidum: caseus ècontra aridus & durus; bene enim parvulus noster eligere no- vit: qui butyrum comedens, caseum utique non comedit. Quid est enim ovis centesima, qua erravit, ut in Psalmo loquitur: erravi sicut ovis quæ periiit. Utique genus humanum, quod be- nignissimus pastor querit, aliis sanè nonaginta novem ovibus in montibus derelictis. In hac igitur ove duoreperies; natu- ram dulcem, naturam bonam, & bonam valde tanquam bu- tyrum, & peccati corruptionem, ut caseum. Vide ergo quam optimè puer noster elegit, qui naturam nostram sinè ulla pecca- ti corruptione suscepit. Nam de peccatoribus legis; coagula- tum est sicut lac cor eorum, in quibus utique lactis puritatem corruperat fermentum malitia coagulum iniquitatis? Huc- usque Bernardus humanitatem Christi, quam accepit à Beata Virgine butyro nō obscurè comparens carenti omni coagulo & caseo peccati; de caseo enim tritum est illud: Caseus est ne- quam, & stomachum gravat, cùm contrà butyrum propter saporem, conducibilitatem, & sanitatem, quam operatur, auro assimiletur, præfertim si jejunio stomacho sumatur, juxta illud: Butyrum manè aurum. Ideo Belgis tantus butyri usus est, ut ab exteris vulgo butyrophagi appellantur, & idcirco in- geniosi

geniosi ac fortis: Docet enim Huartus medicus in Examine ingeniorum, esu butyri ingenium acui virésque corporis solidari. Hollandis, item, qui pars Belgii censentur, tantus butyri usus est, ut non nemo illorum peregrinandi causā à parentibus alio missus, cùm in Piccardiam venisset, ubi ova absque butyro comedebantur, ad suos reversus affirmabat, se in altero mundo fuisse, ubi butyrum nesciebatur & ova absque illo sumebantur.

Theat. mundi,

III. Christianos omnes lacteos & (ut loquitur Clemens Alexandrinus) *ταλανθάρις*, id est, lacte vescentes esse debere, monet S. Petrus Apostolus suos neophitos ita alloquens: *Sicut modò geniti infantes rationabile lac concupiscite.* Quodnam illud lac rationabile? citatus Clemens docet esse ipsumsummet Christum quia sicut lac ab ubere manat; ità Christus quà Deus à Patre, quà homo à Matre procedit *tanquam puer laetus & lactens*. Idem sentit Augustinus: *Lac, inquiens, nostrum Christus humilis ac parvus est;* in sacra præsertim Eucharistia, quæ sicuti candorem lactis quoad species sensibiles imitatur, ità omnem intra se dulcedinem continet, omnisque *saporis suavitatem*. Verè cibus parvolorum, quo innocens & sine dolo anima longè nobiliore modo, quam parvuli corpus nutritur & augmentatur; hinc adjecit D. Petrus: *Lac concupiscite ut in eo crescatis*, eò quòd Eucharistia in augmentum gratiæ divinæ animæque spirituale nutrimentum primariò sit instituta; ideoque etiam infantibus mox à baptismo in primitiva Ecclesia dabatur, idque ex Apostolica traditione, uti docet S. Dionys. Areo pagita tribuit Sacerdos Sacramentum (Eucharistia) *infanti, ut in eo nutriatur, & crescat sacræ augmentis.* Sic S. Petrus Apostolus cum in carcere Mamertino Romæ Christo genuisset & baptizasset SS. Processum & Martinianum cum familia universa eorum, continuò post baptismū simul participes corporis & sanguinis Domini fecit. Idem factitatum S. Ietulio, Cereali, Amantio, Primitivo, & Procopio,

I. Pet. 2.

Dion. Eccl.
hier. c. 5.

aliisque Martyribus recens baptizatis tradunt illorum acta. Porro pueros sub una scilicet, vini duntaxat specie, adultos verò sub utraque Eucharistiam sumpsiisse meminit Hugo Victorinus & ex eo Josephus Vicecomes; eò quòd pueri, præsertim infantes recens nati, facilis speciem vini, utpote liquidi quam panis introsumant, ideoque appositè lac vocatur; quia quemadmodum *vinum vulgo lac serum* dicitur, sic vice versa *lac* dicitur *vinum puerorum*. Galenus Medicorum celebratissimus docet lac inter cibaria optimi probatissimumque alimenti æstimari modò à sano & probo animalitate sit; hinc lacte mero, tanquam Deorum cibo, in convivio magnæ Matris Deorum visitatum fabulantur Græci. At verò in convivio magnæ Matris veri DEI laeti insuper vinum admisceri constat ex libro Proverbiorum Salomonis, ibi eadem DEI Mater dicitur proposuisse *mensam* & miscuisse *vinum*. Quomodo miscuit? cum lacte videlicet, quemadmodum alio loco testatur: *Miscui & bibi vinum cum lacte meo.* Qualis, amabò, mixtura! Numquid hæc duo sibi invicem repugnant, & alterum alterius saporem destruit, dum lac per affusum vinum serescit & coagulatur? ut ut sit (ait Clemens. Alexandr.) *utilis est mixtura lactis & vini: lac enim à vino serescit & funditur, & quidquid est ejus adulterium, id tamquam per aqueductum educitur: sic fides serescere faciens carnales concupiscentias, hominem ad aeternitatem contrahit divinis immortalē efficiens, quasi dixisset Eucharistiam cum ferventi fide susceptam incredibilem animæ consolationem adferre, & omnes pravas concupiscentias ex ea educendo, quasi in DEUM transformare.*

Hugo l. I.
de sacr. c.
20.
Vicecom.
observ. Ec-
cles. l. 5.
c. 36.
Galen.
Commin.
in l. 4, fa-
stor.

Prov. 9.

Cant. 5.

Clem. pæ-
dag. l. 1.
c. 6.

Bernard.
l. de con-
scient.

D. verò Bernardus per vinum intelligit compunctionem cordis, per lac consolationes, quas anima devota ex Dei servitio & præcipue è Sacra Eucharistia sumptione percipit. Non tantum, quod quibusdam in religione viventibus apponitur lac ad bibendum, quibusdam etiam vinum; sed tamen utrumque di-
vi-

divinum. Bibunt illi lac, quibus & vigiliæ breves & cibi dulces, & labores appetibiles, & panni suaves videntur, &c.

IV. At contrâ lac irrationabile & brutale bibunt, qui terrenis voluptatibus se se implentes, ipsi quoque velut qui è Circœ poculo bibere, in brœta irrationabilia transformantur. Laetæ quippe animalium mores eorum imbibî experientia docet; sic si ovium laetæ hædi & agnici caprarum nutriantur, in his lanam duriorem, in illis capillum gigni teneriorem observatum est. Scythæ & Tartari quia solo plerumque lacte equino vescuntur, ideo feroceſ ac nervosi. Puer fuit, teste Joanne Baptista à Porta, qui diu porcæ laetæ alitus, adultus etiam panis induitus fumum intrabat, & porcorum more vorabat. Alter, qui capræ lac diu suxerat, saltatim incedebat, arborumque cortices rodebat. Romulum Urbis Romæ Conditorem lacte nutritum lupæ, & idcirco sanguinarium Romani tradunt fasti, ut qui fratreſ ſuum Remum interfecerit & ob crudelitatem à populo frustrati in ſit dilaceratus. Et hinc eſt, quod homines duros ac immites à feris lactaros allegoricè dicamus, quâ ratione Dido Aeneas duritiem illius erga ipſam exprobrat: nec tibi Diva Parens (Venus nimirum, cuius filium ſe jactabat Aeneas) generis nec Dardanis author.

Perfide, ſed duris, genuit te Caucasus horrens

Virg. I. 4.

Cautibus, Hyrcanæque admorunt uberategriſ.

Aeneidos.

Videas mihi unum aliquem hominem impudoratum, ad omnis generis scurrilitates & obſcenitates projectum, numquid non ipſe porcæ alumnus eſt; de cujusmodi hominum face S. Petrus Apostolus pronuntiavit: Sus lota in volutabro luti; & Venusinus vates: amica luto ſus. Videas unum aliud adolescentem leviculum, moribus dissolutum, in saltus & choreas, in male olidos amores celerem, numquid non hunc Olenia aliqua capra velut alterum falacem Jovem laetavit? videas aliud lividum, mordacem, & canino dente alienam famam rodentem, numquid non illum Lycifca aliqua educavit?

2. Petr. 2.

Horat. I. 5.

Epift. 2.

Fili

Prov. I.

Fili mi, si te lactaverint peccatores, nè acquiescas eis, monet Sapiens. Quid sunt peccatores nisi bruta & irrationabilia animalia, quid nisi porci, hædi, canes, equi, &c. Porcis (inquit Origenes) similes dicuntur ii, qui peccatorum factoribus delectantur sicut Porci, qui factorem omnem tanquam odorem suavissimum expetunt. Considera ergo peccatorem, qui peccatis suis delectatur, & latus est in malis suis, quoniam & ipse in stercoris factore volutatur, & nullum factoris ejus qui ex peccati stercore oritur, percipit sensum, ac velut in summis voluptatibus & gratissimis deliciis delectatur. Porro duobus modis, inquit Ven. Beda, lactant peccatores eos, quos decipiunt; quia aut ad facienda scelerata blandimentis allicitunt, aut facta jam favoribus quasi laudabiliter acta sustollunt. Si ergo te ô fili, ô adolescentis, ô filia, hunc in modum lactare voluerint, si dixerint: *Veni nobiscum, particeps esto sanguinis, &c.* Fruamur bonis, dum sunt tanquam in juventute celeriter: *vino pretioso nos impleamus: non pretereat nos flos temporis, nè amabo, nè acquiescas eis.* Si dixerint postquam peccaveris: *rem bonam fecisti: maecte animis! sic itur ad gloriam;* nè, quæso, nè audiás illos. Siquidem *fel draconum vinum eorum; venenum lamiarum lac eorum.* Hæ námque sunt illæ famiæ, de quibus lamentatur Jeremias: *Lamiae nudaverunt mammam, lactaverunt catulos suos.* Sunt lamiae, teste Philostrato, dracones quidam terrestres, muliebri facie, uberibus corporéque ita specioso, ut ipsis reiectis homines ad se allicitant, captosque devorent: reliqua pars corporis squamis est prædura: alis carrent, & voce, sed sibilum habent instar draconum. Similem his lamias describit Salomon mulierem extraneam ornatum meretricio, præparatam ad capiendas animas, garrulam, & vagam, nunc foris nunc in plateis insidiantem, quæ obviā, vēcordi juveni facta apprehensum eum deosculans procaci vultu eidem blanditur; dicens: *Veni inebriemur uberibus, & fruamur cupitis amplexibus.* Sequitur infelix ignorans quod ad vim-

Prov. I.

Sap. 5.

Thren. 4.

Philost. Vit.

Apoll.

Prov. 7.

vincula, quod ad mortem & victimam stultus trahatur. O
quot quantasq; ejusmodi lamias non jam in sylvis & desertis, sed
in urbibus & compitis vagantes, hodie videre est! quot nobi-
les, & præclaros adolescentes ab eis pellici, & in ruinam per-
trahi! Vaticinabatur aliquando vates Evangelicus de parvu-
lis novæ Christi Ecclesiæ: Delectabitur infans ab ubere super
foramine aspidis; id est, tanta erit infantibus & parvulis in no-
va lege innocentia securitas, ut nec aspides reformidatur sint,
sed cum eis ludent, in eorumque antra manus fidentes im-
mittent; delectantur & hodie adolescentuli nostri ab ubere
adulterino ubere venenato, & quidem delectantur super fo-
ramine aspidis, sed quæ eis fatalem morsum infiget, ut occla-
mare cogantur, non jam cum pio & bono Jonatha; *Gustans* i. Reg. 14.
gustavi paululum mellis & ecce morior, sed cum impio Sisara:
Gustans gustavi paululum lactis & ecce morior. Recte huc *Judic.* 4.
facit illud Synesii: *Ubera quadam mortis sunt pestes, quibus Synes.*
alitur illa, & in se vitam (quam ille sacculum carnis appellat)
convertit. Et vetus illud diverbum: *Ubi uber, ibi tuber.* Do-
cent (an cum Poëtis fabulantur?) Astronomi dari in cœlo
viam quandam lacteam, quam Græci *γαλακτινη* appellant, per
quam Dii Deorumque filii animi gratiâ spatiantur. Est o-
mnino est hodie lactea ad cœlum via, verum lactea non
fabuloſo aliquo lacte, sed Virgineo, qui est Christus, Virginis
filius de semetipſo alicubi profitens: *Ego sum via*, per quam
quorquor Dii sunt & filii excelsi in vitam ingrediuntur, sed
enim datur alia lactea ad orcum via, adulterino & meretri-
cio aliquo lacte, typho potius dixerim, non tam candida quam
ſqualida, per quam non unus Fabius Romanus, sed innumeri
penemomento præcipitantur. Biberat ille lac, & cum lacte
ſimul pilum hausit, ſimul mortem exhausit; id quod acuto
epigrammate domesticus Poëta ita describit:

Languentes uſſit Fabii ſitis arida fauces;

Ergo cupit gelido lacte levare ſiſim.

L

Henric.
Korn, li-
bell. cui
titulus Pho-

Allato

Joseph mor-
tis contem-
plat.

Allato latuit forsitan pilus unus in haustu,
Hunc bibit atque unà pallida fata bibet.

Huic subnectit epigramma sequens:

Vix ora lacēte proliuit, & umbras adit:

Nescibam ad' umbras lacteas dari viam?

Serò nimis talia in inferno occidunt perdit ac damnati illi;
serò & frustra inclamat: Non putabamus unam stillam
carneæ alicujus volupta tulæ tantam continere pestem: ne-
sciebanus ad umbras lacteas dari viam. Ergo erravimus à
via veritatis, à via sinceri & salutiferi lactis.

V. Nè vos, si qui forte talium socii superstites hic adestris,
nè, vos, inquam, similis aliquando ruina involvat, consilium
vobis placeat, quale in simili Propheta omnibus peccantibus

Haie. 46.

suggerit. Redite (sudet ille) redite prævaricatores ad cor, at
ego a jo: redite prævaricatores ad uber; ad uber veræ ac ge-
nuinæ Matris vestræ, DEI nimirum, qui nos omnes, ut inquit

Jac. 16.

Apostolus, voluntarie genuit Verbo veritatis, ut simus initium
aliquid creaturæ ejus; qui non dubitat se ipsum matri com-
parare apud modò citatum Prophetam, ubi dicit: Numquid

Mai. 49.

oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio
uteri sui? et si illa oblitæ fuerit, ego tamen non obliviscar tui,
qui ubera semper nudata ad nos lacteos habet, quemadmo-

Haie. 66.

dum protestatur ibidem: Ad ubera portabimini, & super ge-
num blandientur vobis. Ad hæc itaque ubera prævaricatores
redite, ita tamen, ut quidquid haec terius alieni lactis bibitis, il-

*Carol. Ma-
rill.*

lud juxta sapientis dogma salubriter evomatis. Carolus Mar-
illiacus ex Hispanicis chronicis refert, Reginam quandam
Gallæ ex Hispania oriundam, tanta cum Zelotypia infantem
suum lactavisse, ut cum aliquando absente ipsâ lactatum ab
alia resciisset (qui jam per aliquot menses matris lac suxerat)
nunquam quiescere potuerit, donec infantem lac illud ex-
ternum evomere coëgisset. Est omnino est usque a deo ze-
lotypus in lactando DEUS, ut suos lactantes ad solitudinem

locumque secretum lactatus abducatur, uti testatur apud Oseam: *Ego lactabo eam (animam) & ducam in solitudinem,*
quod nimis à frequentia hominum & pseudonutricum le- Osee 2.
motam uberior pascam & cum ea delicier. Quod si peregrina fortè Amalthea, aut Cajeta quacunque fraude & versu lac suum immiscuerit, nullà ratione DEUS quiescit, ad ubera sua anima non prius recipit, donec ipsa peregrinū illud lac per poenitentiam, & Sacramentalem confessionem plenē evomat egeratque. Quin adeo non sinit polluta alieno lacte ora suis uberibus admoveri, ut (quod solent facere matres dum à sūgendo infantes abstrahere volunt) atramento & amarulentā sepiā eadem perlinit. Sic perlinit sevisus est sacrilego cuidam, de quo Annus Societatis JESU hæc memorant, quidam cùm crebris sacrilegiis inficeret animum, ubi cæteri eundem expiare solent, sacram hostiam cùm eam ori admovebat, impuro, Ann. Soci.
1604. Dom.
prob Far-
rac.
nigro tinctam colore cernebat. Eadem Annus referunt alium adulterii reum Sacrosanctam hostiam cùm in Sacro Missæ elevaretur, non ita, ut illa erat, candidam, verū ita, 1617. ut illius anima mortali scelere saucia atra erat, nigrum asperisse. Olim sacram Eucharistiam suscepturis inclamabatur: *Sancta Sanctis*, quod idem erat, ac si diceres: *Candida Candidis.* Candidum enim & Sanctum esse synonyma sunt in scripturis; nam de Nazareis (quod nomen Sanctum significat, teste D. Hieronymo (apud Jeremiam dicitur: *Candidiores Thren. 4.* *Nazarei ejus (Ecclesiæ) nive, nidiiores lacte;* per cordis puritatem videlicet & conscientiæ nitorem. Talis erat S. Francisca Romana, à qua Julius Ursinus scribit, visam aliquando in sacro hostiam salutarem instar candidissimæ massæ nivis, quā visu introducebatur in lucem sereniorum, atque aper tam & majorem semper. Talis lacteolus Nazareus fuit S. Bernardus, vir innocentia omnino columbinæ, Deiparae Virginis carissimus, quem illa proprio lacte non dubitavit aspergere, ut fieret ex numero columbarum illarum quæ lacte sunt

Cantic. 5.

lota & resident juxta fluenta plenissima gratiarum & consolationum divinarum. Tales Nazaræi erant Sancti illi, in quibus totus sanguis per concoctionem amoris divini, quo calebant, lacte candorem contraxit, uti de S. Paulo, Catharina Alexandrina, Aquilina duodenni puella, Antiocho, & Pantaleone medicis, Sophia Virgine & multis aliis eorum acta memorant, qui pro Christi nomine obtruncati lac pro sanguine fuderunt. De S. item Julitta scribit Magnus Basilius ejus corpus etiam post mortem lacte manasse: *Terra, inquit, istius B. adventu aquam emisit candidam que suapte natura nulli non nostrum gratiosissima esse debet, adeo ut Martyr hac imaginem pientissima referat Matris, dum nutricis in morem totius incolas Urbis alit suaviter, perinde ac lacte quopiam in communes usus affatim scaturiente.* Quid de SS. Lydvina & Gertrude Oestensi dicam, quas lacte Virgineo à nocte Nativitatis Domini usque ad Purificationem Deiparæ Virginis abundasse in earum vitis legimus? fuisse has Christi alteras Matres, cur non dixerim, siquidem Christum ipsum non una Virgine Maria sed pluribus Matribus gloriari ex Evangeliiis compertum habeo: Concionante enim in una aliqua domo ad frequentem turbam Domino, *Ecce mater ejus* (inquit Matthæus) & fratres stabant foris, quarentes loqui ei, dixit autem ei quidam: *Ecce mater tua & fratres tui foris stant quarentes te.* At ipse respondens dicenti sibi ait: *Quae est Mater mea, & qui sunt fratres mei?* & extendens manum in discipulos suos dixit: *Ecce Mater mea & fratres mei: quicunque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in celis est, ipse meus frater & soror & mater est.* Lactat ergo reciproce Christum, quisquis voluntati DEI & mandatis obtemperat. Neque tamen hic Sanctissima Virgo Maria ejus secundum carnem Mater zelotypia aliquâ tangitur, quasi sic lac alienum filio ejus propinaretur; sicut enim ipsem, aliquando confessus est non sibi gratiorem pastum esse, quam ut faciat voluntatem aeterni Patris

Matthæi 12.

Joann. 4.

ris sui, ita perinde gratus illi pastus est dum eandem voluntatem alii faciunt & exequuntur. Et hinc est, quod eadem Sanctissima Deipara Maria nonnullis Sanctis Religiosis ac devotis personis parvulum Jesulum saepius ultro obtulerit, & è suo in illorum sinum deposuerit! quemadmodum de Fastredo Cisterciensi Abbatem memorant ejus Ordinis Annales, hic in Claravallis Abbatem invitus ac reluctans electus, onus omni quā potuit contentionē recusavit. Ergo latenti, suspiranti, hærenti, oranti, & à sensuum usu erepto, divina Mater cum infante inter amplexus Deivisa, & ingemiscēti atque auxilium unicè exposcenti sic loqui audita est: *Quid turbaris? accipe filium meum, illiusque fidem curam*, tanquam altera mater, agé. Dixit, & relicto in Fastredi amplexibus parvulo (qui unus omnium ejus coenobii personarum personam gerebat) discessit significans, DEUM ita velle, onus illud pastorale ut suscipiat. Eandem gratiam S. Coletæ, B. Felici Capuccino, Venerab. Mariana de Escobar & quam plurimis aliis præstitam testantur eorum vitæ. Fecit hoc nimirum amantissima Dei Mater, quod nō esset Filium suum Sanctorum obedientiā, charitate, devotione, ceterisque virtutibus, non secūs ac lacte osculisque maternis, delectari. Solent enim matres inter latandum, ait Hugo Card. Filios quos tenerè diligant, nunc in fronte, nunc in oculis, nunc in facie, nunc in ore, nunc & alibi osculari. Osculum dedit Christo Andreas cùm dixit: *Quem scripsit Moyses in lege & Propheta inuenimus Messiam.* Et Samaritana: *Numquid hic est Christus?* & breviter tot ei oscula præbuerunt, quot veritati testimonia perhibuerunt. Deosculatur etiam (ajo ego lac præbet) qui verba operibus & opera pro modulo suo consona reddit. Desiderabat devota illa anima, Cant. 8. *Quis mihi dedit fratrem meum sugenē ubera Matris meæ (Mariæ) & jam me nemo despiciat, fratrem vocat propter similitudinem naturæ nostræ, quam ille suscepit;* quod autem dicit: *Ut jam me nemo despiciat maternitatem*

Ann. Ci-
sterl. 30.

86 Diei VII. infra Octavam Nativitatis Domini,

insuper exambit, quasi diceret: Quis mihi det ut ego, quæ tua
ha&ctenus soror fui, insuper & Mater tua lactando te efficiar,
& quæ ha&ctenus in tantum despiciebar, ut dum te subinde per
vicos & plateas querere, etiam à vilissimis portarum custodi-
bus percussa, vulnerata, & pallio spoliata sim: deinceps non
tantum violentiam aliquam non patiar, sed ab omnibus, ut
Summi Principis nutrix & Mater suspiciar, qui in necessitati-
bus ad me supplicabundi recurrent. Quid enim non possit
Regis mater apud filium vel solo uberum ostentu? tanti quip-
pe semper fuit materni lactis beneficium, ait non nemo, ut
imperaturæ quidquam majoris ponderis matres à filiis, per
lac, quod illis præbuerant, postulata concedi vellent. Unde
Antipater Macedo crudelis in historia habetur, quod matri
mortem per ubera materna, quæ ostendebat, deprecant non
pepercit. Parcit contrâ & quodammodo non parcere non
potest, divinus Filius quorumvis etiam gravissimorum crimi-
num reis, quoties Maria Mater per ubera sua pro iis depreca-
tur; & sicut lac ovium materiale fulmen, ita ipsa lacte suæ
suavitatis (cujus coronam Filio suo imposuisse dicitur à D.
Ambrosio) fulmen iræ divinæ in peccatores vibratum facile
exstinguit.

Ad hæc itaque misericordiæ & suavitatis ubera recurramus
universi, ut si quando in uberibus nostræ mentis lac bonorum
operum exaruerit, propter quod filius ejus à nobis aversus est
censu matrum suarum nos expugnat; illâ superabundante
misericordiâ suâ lacteam nobis gratiæ venam aperiat qua de-
nuò fœcundatos pro matribus agnoscat & in novissimo die
amplexu suo dignetur idem Filius MARIÆ ventris
fructus benedictus in secula.

Theatr.
mund.
lit. L,

Ambrosl.
z. com. in
Luc.

IN

IN OCTAVA NATIVITATIS

SEU

IN CIRCUMCISIONE DOMINI.

Jesulus nascens Amornominatus.

Vocatum est nomen eius JESUS.

Luc. 2.

I.

Non semper fuit de nomine moveri quæstiones, satis supérque vel ex eo liquet, quod jam inde ab origine mundi, tanta fuerit nominum rebus in dendorum cura, ut simulac aliquid creatum erat, similiteriam nomine suo appellatum sit. Dixerat naturæ Autor: *Fiat lux;* & statim appellavit lucem diem & tenebras noctem. Dixerat: *Fiat firmamentum;* & continuò vocavit firmamentum Cælum. Dixerat: *Congregentur aquæ, que sub cælo sunt, in locum unum;* & protinus vocavit aridam Terram, congregationesque aquarum appellavit maria. Exinde omne genus animalium, reptilium, natatilium, volatilium, quadrupedum, produxerat, adduxitque ea ad hominem quem ipsum Adam nominavit, ut videret quid & quomodo vocaret ea, quasi absque nominibus res universæ neque satis existere, nec Universi ordo rectè valeat consistere: quod enim nomine caret solem mihi (ait nonnemo) sine radiis marcidum, ignem sine calore evanidum, nolam sine Sono emortuam referre videtur.

Samius Pythagoras hominibus bona nomina imponenda docuit, quorum frequenti auditione ad rectè vivendi officia incitarentur. Sic Dionysius Rex Siciliæ filiabus suis imposuit nomina primæ *Virtutis;* Secundæ nomen *Temperan-*

*Lyraeus Tri-
fag. Mars.*

L.

tias;

88 Diei VIII. infra Octavam Nativitatis Domini,
teria; tertiae *Justitia*. Et Adimantus quidam primam suam
filiam vocavit: *Naufricam*, i. e. victoriam navalem; secun-
dam: *Acrothionis*, i. e. spolium hostium; tertiam: *Alexi-
biam*, i. e. robur contra hostes; ut suo quæque connubio eam
regno pareret felicitatem, quam suum cuique nomen illu-
cebat. Jacobus item Pontanus de viro quodam refert, cum
tres filios sua ei conjux genuisset, quos omnes præstantes Ju-
reconsultos fieri percuperet, uni *Bartoli*, alteri *Baldi*, tertio
autem *Codicis*, (quem sæpe in foro nominari audierat, velut
maximi Jurisconsulti vocabulum esset) nomen imposuisse,
ut vel hæc ratione ad Jurisscientiam felicius penetrarent. At
quis nomen imponat Amori, de quo canitur illud:

Est Vertumnus Amor, partes se vertit in omnes?
Si *Vertumnus*, si partes in omnes versatilis, quo demum certo
ac determinato nomine appellabitur? Scriptores quidem tam
sacri quæm profani modò eum vocant *Cupidinem à cupiendo*,
modò *Ignem ab urendo* (a), modò *Magnetem à trahendo*;
modò *Aurum ab appretiando* (b), modò *Vinum ab inebriando* (c)
modò dicitur *Sagittarius à sagittando* (d), modò *Faber à conflando* (e)
modò *Venator à capiendo*, modò *Debellator à vincendo* (quid enim non vincat amor?) modò *Tyrannus à cruciando*: sed hæc hisque similia nomina non amoris natu-
ram, verùm proprietates duntaxat & effectus significant, de-
notantque. Auditum olim fuerat, Deo revelante, Amorem
increatum incarnandum, & in substantia nostræ carnis visibi-
liter corporalem apparitum: quanta non de ejus nomine
vaticinia! *Vocabitur nomen ejus Emmanuel*, canebat alias
Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri seculi,
Princeps pacis: Accelerat spolia detrahere, Festina prædari.
Alius dicebat: *Hoc est nomen quod vocabunt eum: Dominus*
Justus noster; vel, juxta Hebræum textum, *Dominus Justitia nostra: Dominus exercituum nomen illi.* Alius: *Ecce vir Oriens nomen ejus.* Alius: *Nomen ejus Sol justitia, &c.* *Nihilomi-*
nus

a Ovid.
Thecrit.
b Idem
c S. Bernard.
d Origen.
e Plato.

Isa. 7.
Isa. 9.
Isa. 8.
Jerem. 23.
Jerem. 11.
Zach. 6.
Malach. 4.

nus ex tot nominibus nullum adeò proprium erat, quin seu omnibus divinis Personis, seu Angelis atque hominibus non nullis conveniret. Nam DEUS Pater, DEUS Filius, DEUS Spiritus Sanctus. Emmanuel Pater, Emmanuel Filius, Emmanuel Spiritus Sanctus; juxta illud Christi Joan. 14. *Si quis diligenter me, Pater meus diligit eum, & ad eum veniemus, & mansio- nem apud eum faciemus.* Et: *Rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum.* Judic. 13. Angelus Judic. 13. scilicet ex se Manue Samsonis Patri: *Quod tibi nomen est?* Respondit: *Cur queris nomen meum? quod est Mirabile. Gabriel nonne & ipse secundum nomen suum Fortis, immo Fortitudo DEI? nonne fortis & Samson? nonne Rex justitiae & Heb. 7. Melchisedech? nonne Pater futuri seculi, sive multarum Rom. 4. gentium & Abraham? nonne Princeps pacis & Augustus?* Continete itaque os vestrum Prophetæ, file Sion: *Videbunt Isa. 62. gentes Justum tuum & cuncti Reges Inclytum tuum: & vocabitur tibi Nomen novum, quod os Domini nominabit.* Quodnam illud nomen novum? *Cyrillus & cum eo D. Thomas* Cyril I. de censem esse ipsissimum, quod hodie solenniter veneramur, fide ad Theodos. Nomen IESU, incarnato Amori divino ab ipsomet æterno Pa- tre impositum. Cùm enim ad nominis impositionem plurimum faciat, immo necessarium sit rei nominandæ naturam nosse, nemo alias Amorem hunc nominare neque poterat neque debebat, nisi is qui eum ad intra se & genuit, & quidditatè (ut loquimur in scholis) cognovit. *Nemo siquidem Matth. 11. vit Filium nisi Pater, teste eodem Filio.*

II. *Vocatum est Nomen ejus IESUS, quod vocatum, id est anunciatum est ab Angelo priusquam in utero conciperetur.* Derivatur hoc Nomen ab hebræa radice *jassa* quod *salu-*
re significat; unde Jesus idem sonat quod *Salvator,* planè ge-
nuinum divini Amoris Nomen. Quid enim illi tam proprium ac salvare; sicut è contrario amor terreno & carnali frequen-
tius nihil ac perdere? at qua ratione Nomen hoc novum, quod pluribus jam longè antè inditum legimus? an non in-

90 In Octava Nativitatis seu in Circumcisione Domini.

*Zach. 6.
Gen. 41.
Judic. 3.
Ezdræ 9.*
clytus ille ac celeberrimus populi Israëlitici Dux filius Nave
JESUS cognominatus ; an non sapientissimus in scripturis sa-
cris Doctor & Ecclesiasticus Siracides dictus JESUS ? an non
Sacerdos ille magnus *filius Josedec* JESUS appellatus ? an non
Joseph Jacobi filius verso nomine à Pharaone Ägyptiâ linguâ
Salvator mundi ? annon *Othoniel* & plures alii Judæorum Sal-
vatores ? dicente Ezdra : *Dedisti eos (Judæos) in manu hostium
suorum & afflixerunt eos. Et in tempore tribulationis sue cla-
maverunt ad te, & tu (Deus) de cælo audisti & secundum mi-
serationes tuas multas dedisti eis Salvatores, qui salvarent eos
de manu hostium suorum.* Ita quidem plures fuerunt Salva-
tores & dicti JESUS ; sed, ut rectè observavit Pagninus & Cor-
nelius Jansenius sic dicti sunt à Jehoschuah quod est *salvabit*.
Christus verò non Jehoschuah, sed Jeschuah, quod est salus
seu salvatio nuncupatur, quasi per antonomasiam Salvator
Salvatorum, & ipsa salus, ipsa salvatio ; nec salus quæcumque,
sed salus nova, quemadmodum canit Ecclesia in hymno de
Nativitate Christi :

*Hunc astra, tellus, aquora,
Hunc omne quod cælo subest
Salutis autorem novæ
Novo salutat cantico.*

Matthæi 1. Et quæ illa salus nova & hactenus inaudita ? declaravit Ange-
lus Josepho, dum ei nunciavat : *Pariet tibi Maria conjux tua
filium & vocabis Nomene ejus JESUM.* Et mox pro causali, cur sic
appelletur, subdit : *Ipse enim salvum faciet populum suum à
peccatis eorum.* Verè salus nova ac divina ! quæ salutem,
quæ omnes homines, Duces, Reges, Imperatores populis attu-
lère, longissimè superat. Josephi, Moyfis enim Josue, Othonie-
lis, Gedeonis, Samsonis, Davidis, Zorobabelis, Mardochæi, &
similium salus erat temporalis duntaxat, transitoria, & anno-
rum cursu antiquata, qua scilicet vel à fame, à gladio & inter-
necione, vel à captivitate, servitutéque nunc Ägyptiorum
nunc

nunc Amorrhæorum, nunc Madianitarum, nunc Moabitærum, nunc Philistinorum, nunc Assyriorum, nunc Syrorum, nunc Medorum, nunc Chaldæorum, nunc Persarum, nunc Græcorum populum suum salvabant: at verò salus, quam Christus attulit æterna est, perennis, perpetua, dicente Apostolo: *Unde & in perpetuum salvare potest accedentes per se-* Act. 4. *met ipsum ad DEUM.* Salus verè divina à nulla pura creatura præstabilis; nam si omnes Angeli, ac homines justi collectis in unum viribus totâ æternitate laborarent, omnemque sibi possibilem Deo exhiberent satisfactionem, nè quidem ab uno lethali peccato quemquam liberare valerent: tanta est peccati captivitas, tanta pernicies, tanta mors! Libro 4. Reg. L. 4. Reg. c. 4. gum c. 4. Jacebat in domo vidua Sunamitidis defunctus charissimus ejus filiolus quem illa paulò antè precibus Elisæi cælitus impletarāt: Ægra igitur animo ac dolore plena intrinsecus ad Prophetam in monte Carmelo commorantem celestiter convolat, ejusque pedibus affusa dolenter ita fatur: *Numquid petivi filium à Domino meo? numquid non dixi tibi; nè illudas me?* & ille ad Giezi ministrum suum: *Accinge, ait, lumbos tuos & tolle baculum meum in manu tua, & vade.* Abiit Giezi & præveniens posuerat baculum super faciem pueri, & non erat vox neque sensus; donec paulò post secutus ipse Elísæus, non jam super impositione baculi, sed proprii corporis incubitu mortuum vitæ reddidit: *Incubuit super puerum, posuitque os suum super os ejus & oculos super oculos ejus & manus super manus ejus & calefacta est caro pueri, & oscitavit puer septies apperuitque oculus.* Jacebat similiter, licet funestiore fato exanime genus humanum: *Pramissi sunt, inquit Bernardus, illi Salvatores (quos modò memoravimus) tanquam baculus Elísæi ad mortuum Prophetam prævenientes, & sua interpretari nomina nequiverunt.* Vacua quippe erant, superpositus mortuo baculus est, & non erat vox, neque sensus: quoniam baculus erat. Descendit, qui baculum misit, & mox

Bernard.
serm. 15.
in Canticis

*salvum fecit populum suum à peccatis eorum. Salvum fecit velut alter Elisæus super mortuum incumbendo se séque incurvando, & spiritum oris sui imò animiam suam ei inhalando. Dico enim (verba sunt Cyrilli Alexandrini) quod *Anima Dei nomen Iesus est*; &c., Non est in aliquo salus; teste D. Petro: nec enim aliud nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.*

Cyrillus I.
de rect. fid.

Act. 4.

Deuter. 4.

III. Olim in Lege Moysi civitates nonnullæ deputabantur (quæ Urbes refugii dictæ) in salutem & salvationem eorum, qui fortuitò casu quempiam occidissent, & propterea à cognatis occisi ad mortem petebantur. Sic Deuter. 4. separavit Moyses tres civitates trans Jordanem ad Orientalem plagam, ut configiat ad eas qui occiderit nolens proximum suum. Bosor in solitudine, quæ sita est in terra campestri: de tribu Ruben: & Ramoth in Galaad, quæ est in tribu Gaad: & Golan in Bafan, quæ est in tribu Manasse. Tres istæ civitates Nomen Jesu tribus literis IHS communiter describi solitum non incongruè mihi figurare videntur. Bosor enim idem sonat quod *Munitio: Ramoth, Excelsus: Golani, Transmigratio*, & in primis quid tam munitū, ac Nomen Jesus è munita Antiquitati & plane inexpugnabilis videbatur Babylon, cuius prodigiosos muros turresque non longè abhinc recensuimus: inexpugnabilis censebatur Troja, inexpugnabilis Carthago, Numantia, Macherus Herodiana, Byzantium, Alba Regia, Signetum, Agria, Ungaria munitiones, & sexcentæ aliae: & tamen Babylonem expugnavit Darius, Trojam, post decennialem obsidionem, Græci, Carthaginem & Numantiam Scipio, Macheranta plurāque Judææ firmissima castella Romani, Byzantium, Albam, Signetum, Agriam, & quot non munitissima loca Othomannici barbari: Jesu verò Nomen quantumvis jam inde ab eius principio non Othomannicæ solum, sed infernales Portæ, imò mundus certatim universus oppugnârint, expugnare adeo non potuerunt, ut re desperata fugitabundi vociferari

ciferari cogerentur: *Quid nobis & tibi JESU Nazarene? ve-* Marc. I.
nisti perdere nos. Ubi, ut explicat Euthymius, perditionem
suam vocat D̄emon cohibitionem sua potestatis, virtutēmque
contraria ac sui debellationem per Nomen JESU. In urbibus
munitis plurimum commendantur Turres ad quas incolæ &
propugnatores etiam si muros hostis habeat, tanquam ad ultimū
præsidium configere ac se recipere solent. Sic Judic. 9. Judic. 9.
cum Abimelech Tyrannus & septuaginta fratrum sanguinari
rus intersector civitatem Thebes valido exercitu oppugnaret,
omnes viri simul & mulieres in excelsam turrim, quæ in me-
dio civitatis eminebat, configerant, & omnes principes civi-
tatis clausâ firmissimè januâ, & super turris tectum erant stan-
tes per propugnacula. Accedensque Abimelech juxta turrim,
pugnabat fortiter: & appropinquans ostio, ignem suppone-
re nitebatur: Et ecce una mulier fragmen molæ super jacens
illisit capiti Abimelech, & confregit cerebrum ejus. Civitas
Dei sumus, teste Apostolo: Accesisti ad civitatem Dei vi- Heb. 12.
ventus. Oppugnat nos inde sinenter tartareus Abimelech ty-
rannus & homicida ab initio: ecce nobis Turris fortissima No- Joan. 8.
men Domini, Nomen JESU: adhanc Turrim configiamus Prov. 18.
universi, & illic erit salus nobis; supponat, ut volet flammas
suas, & vitiorum incentiva pessimus hostis, habet oī mulier,
anima Christiana, habet ibi non jam fragmen alicujus molæ
sed grandem lapidem angularēm, quem si devolvas ac dejicias
in caput oppugnantis te, continuo illud conteres & elides ce-
rebrum ejus: Lapis ille angularis non est alius quam ipse JES-
sus, qui de se ipso ad Pharisæos & Scribas ita loquitur: Nun- Matth. 21.
quam legistis in Scripturis: Lapidem, quem reprobaverunt
adificantes, hic factus est in caput anguli, & qui ceciderit su-
per lapidem istum, confringetur; super quem verò ceciderit,
conteret eum; Cecidit hic Lapis super dæmonem, eumque
contrivit, quam primum Nomen ejus audiri cœpit. Sic Apoc.
12. Factum est prælium magnum in cælo. Michael & An- Apoc. 12.
geli

94 In Octava Nativitatis seu in Circumcisione Domini,

geli ejus pugnabant cum Dracone; & projectus est Draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur Satanus & ipsi (Angeli boni) vicerunt eum, propter sanguinem Agni & propter verbum testimonii. Quod nam illud verbum testimonii? S.

S. Bernardinus à Senis maximus Nominis Jesu cultor docet esse ipsum Sacratissimum Nomen Jesus. S. Michael, inquit, cernens negotii, quod illi adversus Draconem fuit, difficultatem, assumpit in auxilium Nomen Jesus, & per intellectus ad singulos transmisit; & transeunte de Angelo ad Angelum verbo cœperunt omnes simul invocare Nomen JESUS, clamabant JESUS JESUS. Tanta fuit virtutis Nomen hoc, & tanti momenti Angelis SS. ut reprobi videntes eorum conatus terga verterint, & dispersi fugâ elapsi sint. Idem S. Bernardinus alibi de hoc ita differit: Dicebant Apostoli: in Nominе tuo dæmonia ejecimus; quibus Christus: vidi Satanam sicut fulgor de cælo cadentem. Quasi vellet dicere: nè admiremini, si in virtute mei Nominis JESU expellitis dæmonia, quia in hoc Nominе fuerunt expulsi ab Angelis de Paradiso, ruendo tanquam fulgor, quod cum impetu descendit. 1. Reg. 17. Philistæus quidam Goliath, quem ob staturæ proceritatem carnem turrim appellat Chrysostomus per quadraginta continuos dies procedebat è castris exprobrans & maledicens agminibus Dei & exercitui Israëlitico, & ad singulare certamen unum aliquem ex eis provocabat: Date mihi virum & ineat mecum singulare certamen. At illi viso tam terribili monstro certatim à facie ejus veluti musculi ad sua foramina fugiebant timentes eum valde, unus ex omnibus David etiamnum adolescentulus & penè puer tantæ audaciæ inventus est, qui se se ad certamen offerret, Rege in ipsum Saulem ita alloquens:

Non concidat cor cuiusquam in eo: ego servus tuus vadam, & pugnabo adversus Philistæum. At quomodo pugnavit? quibus armis instructus in arenam descendit? abjecto gladio, lorica & æneâ casside, quibus illum Saul induerat, elegit sibi quin-

S. B. sen.
conc. de
Hom. Jes.

Bernard.
Tom. 4.
serm. 4.
Matth. 7.

quinq[ue] limpidissimos lapides Nomine Iesu signatos & appropians Philistæo : Tu venis, ait, ad me cum gladio & hasta & clypeo, ego autem venio ad te in Nomine Domini exercituum Dei agminum Israël, quibus exprobrasti hodie. Dixit, nec mora, misit manum suam in peram tulitque unum lapidem, & fundâ jecit, & circum dicens, percussit Philistæum in fronte, & infixus est lapis in fronte ejus & cecidit in faciem suam super terram, percussit eum in fronte, inquit Glossa, ubi signum Christi non habuit. Spurium hoc hominis monstrum tartarei gigantis Schema fuisse S. Patres & Scripturarum interpres communiter sentiunt. Quid enim illo terribilius? quid minacius? quid formidabilius? sed quam terribilis & formidabilis est tam facilis expugnatu: unus jactus lapidis, una invocatio SS. Nominis Iesu vastam illam ac superbam turrim ad terram prosternit, allidit ac elidit. Quod luculento exemplo confirmat Religiosissimus Vir Thomas ille Kempensis, no-
 ëte, inquit, intempestâ (scribit de se in persona alicujus tertii) in somnis cum jaceret, tempore usus dæmon, adfuit & me-
 tuenda se illi formâ objecit intuendū; utq; magis terroreret, pau-
 latim proprius propriusq; ad lectum accessit, quo vicinior eo for-
 midabilior. Intremuit ad larvæ istius aspectum Thomas; au-
 xiliūmque, quod pietas primum suggestit, arripuit; tremulâ
 enim voce Angelicam salutationem recitavit; quam durante,
 semper vicinorem se se larva fecit, donec ad illa verba ven-
 tum: Et Benedictus fructus ventris tui Iesu, quod terrifi-
 cum Nomen ubi dæmon audivit, quasi horrendo quodam to-
 nitruo pavescens terga vertit atque inde à clamantis se se vo-
 ce quam ocyssimè proripuit. Quod ubi Vir Religiosissimus vi-
 dit, experientiâque ipsâ didicit ad tanti Nominis virtutes
 dæmones stare non posse, è lecto se erexit, caputque fidentiū
 extulit, & repetitis vicibus benedictum Nomen Iesu CHRIS-
 TUS hosti fugienti vocalissimè ingessit, quoque vehemen-
 tiis clamavit, eo vidit deterrimum monstrum contentiū
 velle

Thom.
Kemp. per
3. ferm. ad
Novit. ex-
emp. 4.
Stengel.
Stren. pior.
c. 23.

96 In Octava Nativitatis seu in Circumcisione Domini,

velle è conclavi excedere; pulso & hoste & metu victor Deo gratias tulit, jámque animatior apud se seriò statuit, nihil deinceps metuere minarum aut machinarum, quas styx excitarer; quando tanta vis esset, in uno J esu N omine, ut eo vel auditio ipse filiorum superbiaz princeps cedere cogeretur. Rechètè proinde monet S. Joannes Climacus: *J esu N omine cede inimicos: neque enim in caelo aut terra potentiora sunt arma.* Et S. Ephrem: *Promuro, ait, munitissimo atque tutissimo est mihi Nomen Domini mei & Salvatoris J ESU C HRISTI.* Sed jam à munitione, seu Bosor ad alteram civitatem refugii, quæ est Ramoth transeamus.

Ezech. 27.

Ezech. 27.

Forster.

Hieron. in
cap. 14. Isa.

IV. Est itaque præterea Nomen J esu Ramoth, id est Ex-cellum, quæ præcipua laus censetur munitionum ac turrium, quas ab excelsitate & altitudine maximè commendamus. Sic Ezechielis 27. turres Urbis Tyri tantæ altitudinis prædicantur, ut propugnatores earum viri aliqui robusti & proceri pygmæorum instar visi sint infernè aspicientibus: *Sed & pygmai, inquit Propheta alloquens Tyrum, qui erant in turribus tuis pharetras suas suspenderunt in muris tuis per gyrum, ipsi compleverunt pulchritudinem tuam.* Pygmæos nonnulli hic intelligunt masculos cubitales, verùm non quòd unum tantum cubitum essent alti, sed (ut existimat Forsterus) quòd præ turrium, in quibus erant, altitudine, hominibus infrastantibus tales viderentur. Nominatissima illa confusionis linguarum mater turris Babylonica, teste D. Hieronymo, alta fuit quatuor millia passuum, altitudine unius milliaris magni, quod Germanicum dicimus. Celebrantur etiamnum turres, Venetiana, quæ è regione fori est D. Marci, opus admiratione sanè dignum: Ferunt molem ipsam tam altis fundamentis impositam, ut pene plus operis illa hauserint, quām id reliquum sit quod exstat; ejus fastigium, quod ex purissimo fulget auro, in eam assurgit altitudinem, ut non solum urbem, quam circumquaque subiectam habet, contemplari indè liceat;

ceat; sed ad ortum quoque & meridiem, longè latèque in ipsum mare aperiat prospectum ita ut ex Histria, Dalmatiāque introrsum navigantibus ad ducenda & amplius stadia fulgor ille, tanquam fidus quoddam salutiferum occurrat; dicitur autem assurgere ad pedes ducentos triginta. *Toletana* in Hispania, quam olim Mauri ædificârunt, per cuius cochlearis eques ascendere potest. *Antverpiensis*, ex candidis lapidibus Summo artificio, & opere cœlatorio extracta; altitudinis supra quadringentos & quinquaginta pedes geometricos: quam cum Carolus V. subinde consendisset, dixisse fertur, meretiam artificiosam operis tanti structuram sericum velum, quo obtegeretur, & quo semel duntaxat per annum remoto omnibus ea conspicienda exhiberetur. *Argentoratensis* in Germania, ad quam in quadrum gradibus lapideis in acumen dispositis etiam deforis ascenditur; excelsa ad pedes geometricos 574. quæque inter stupenda mundi octavum obtinet locum. Taceo Cremonensem Italie, Brugenses Flandriæ, Rhomagensem Gallie, Viennensem Austriæ, Landishudensem Bavariæ, & sexcentas hujusmodi turres, quibus omnibus infinite eminet, *Turris* altissima & excelsissima Nomen J E S U; de quo Apostolus: *Deus exaltavit illum (JESUM) & dedit illi Nomen, quod est super omne nomen.* Summo studio laborant homines, & præfertim viri Principes de nominis eminentia, qua super alios clari nominati & quasi Dii habeantur. Nemrodom ejusque asseclas nil aliud ad ædificandam turrim, cuius culmen ad cœlum usque pertingeret, impulit, nisi nominis magni ambitio: *Venite, inquiunt, faciamus nobis civitatem & turrim cuius culmen pertingat ad cœlum;* & celebremus nomen nostrum. Cosdras Rex Persarum fortissimus, cum Asiam subjugasset & Africam & potentissimus esset, eò superbitate se extulit ut Deus audire & haberi exambiret, idcirco sibi turrim argenteam excelsam valde, in cuius Summo thronum aureum ornatum gemmis, atque quadrigas

Philip. 2.

Gen. 11:1

Pompilius
Aza. I. 5.
nat. 9.

98 In Octava Nativitatis seu in Circumcisione Domini,

drigas solis & lunæ & imagines stellarum mobiles stupendo artificio fieri jussit. Quæ non egerunt Alexander Macedo, Pompejus, Julius Cæsar, Constantinus, Otto, &c alii, ut secundum nomen suum, Magni dicerentur! at quis eorum tam magnus audivit, ut gloriari posset, quod in persona Christi gloriatur, Propheta: *Ab ortu solis usque ad occasum magnum est Nomen meum, & in omni loco sacrificatur & offertur Nominis meo oblationis munda?* ubi nunc est, Cosdra, tua illa argentea superbaque turris? nec quidem ejus memoria hodie superest: Ament Principes & Potentates titulari, Excellentissimi, Celsissimi, Eminentissimi, Serenissimi, neque hoc solum, sed ipsa Excellentia, Celsitudo, Eminentia, Serenitas, (quanti Tituli!) quanto sedenim Excellentis istis excellentius Nomen Jesus est de quo Princeps Apostolorum testatur, non esse aliud nomen sub caelo datum hominibus in quo oporteat nos salvos fieri, ut suprà ostendimus: quanto Celsitudinibus celsius, quod ipsos caelos cœlitumque nomina transcendit, dicente Paulo: *Iesus Christus heri & hodie: Sedet ad dexteram Majestatis (Dei) in excelso, tanto melior & excelsior Angelis effectus quanto differentius præ illis Nomen hereditavit:* quanto Eminentius eminentius quod etiā super omnia Dei nomina eminet, ut nō obscurè indicat mellifluus Doctor: *Omnia, inquiens, nomina Dei aut pietatis gratiam, aut potentiam majestatis sonant, nomen potentiae est Emmanuel, nomen pietatis est Iesus.* Rursum Propheta inquit: *Vocabitur nomen ejus admirabilis, Consiliarius Deus, Fortis, Pater futuri seculi, Princeps pacis.* Primum, tertium, quartum majestatem sonant; reliqua pietatem. Quod horum ergo effunditur? profectò majestatis ac potentia nomen in id, quod est pietatis & gratia, quodammodo transfunditur, ipsumque effunditur abunde per Iesum Christum Salvatorem nostrum. Summum apud Hebreos Deinomen erat illud tetragrammaton seu quatuor literarum Jehovah dictum יהוה & super hoc Nomen Jesus eminet, hoc enim

solam.

Mal. 1.

Act. 4.

Heb. 5.

Bernardus
serm 15. in
cant, super
illud: Oleū
effusum.
nomen
tuum.
Ma. 9.

Solam divinam essentiam significat, estque idem cum illo, quo se nominat Deus Exod: 3. *Ego sum qui sum;* Jesus autem praeter essentiam divinam humanam quoq; naturam deificatam connotat, illumq; representat, qui est qui creat, qui redimit, qui justificat, qui beat & salvat. unde magnus Abulensis non dubitat dicere, majus peccatum esse accipere Nomen JESUS in vanum quam istud nomen Deus, quia, inquit, Ecclesie communis & laudabilis consuetudo magis honorat istud Nomen, JESUS, quam nomen Deus. Unde, audito nomine JESUS, devoti fideles, aut caput inclinant, aut genua flectunt, quod non faciunt, audito nomine DEUS. Exstant quin etiam super hoc Conciliorum ac Pontificum decreta apud Serarium Gregorius Papa statuit ut ad Nomen JESU, omnes fletant genua cordis sui, quod vel capit is inclinatione testentur. Con-

Abulens. in
c. 20. Exod.
quest. 7.

Serar. in c.
2. Josue qu.
15.

V. Sed nunquid non & Golan, (qua est tertia Urbs refugii & salutis) recte dici potest? Si enim Golan transmigrationem significat à radice גָּלָן gala quod est transmigravit, unde & Galilæa dicta, quis tam proprius Jesu titulus quam Galilæi & quidem Nazaræi ab oppido Galilææ Nazareth ubi & conceputus & enutritus est, quem titulum ei Prophetæ jam olim dederant, vaticinantes: *Quoniam Nazarenus vocabitur.* Ea-

Matth. 2.

dem appellatione dum in terris ageret, vulgo appellabatur ab hominibus. Marc. 10. & Luc. 18. Bartimæus cœcus, sedens secus viam, rogabat turbam prætereuntem quis nam tanto cum comitatu transiret, & dicunt ei: *Quia JESUS Nazarenus est.* Ioan. 18. rogati in horto Getsemani Iudæi, quemnam quærerent; responderunt: *Jesum Nazarenum, neq; aliter*

Marc. 10.
& Luc. 18.

100 In Octava Nativitatis seu in Circumcisione Domini,

eum cognominabant dæmonia clamantia è corporibus obfes-
Marc. 5. forum: *Quid nobis & tibi JESU Nazarene?* hunc titulum ei
Pilatus in Cruce scripsit: *Hic est JESUS Nazarenus*, nec alio
jam in Coelis gloriolus semetipsum dignatur magis. Saulo
enim persecutori sciscitant: *Quis es Domine?* respon-
det: *Ego sum JESUS Nazarenus.* Post Resurrectionem
A. 9. jubet Apostolos (qui omnes Galilæi erant) ire in Galilæam:
Matth. 28. *Ite, ecce procedam vos in Galilæam: ibi me videbitis:* Galilæi,
seu transmigrantes cuncti sumus, quoad vivimus; migrandum
Heb. 13. hinc ferius aut citius est; non enim habenus hic manentem ci-
vitatem, sed futuram inquirimus. Nostra Golan, seu Trans-
migratio sit IESUS oportet in ejus Nomine ad longam &
nunquam finiendam æternitatem proficiscendum est cum
Act. 3. clando illo Act. 3. cui dictum à Petro: *In Nomine JESU Christi
Nazareni surge & ambula.* Hoc nobis Nomen proficiscen-
tibus optimum viaticum (ut pote aurum & argentum proba-
tissimum) erit. Pulchre enim aureum osilla verba Petri clau-
do dicta: Argentum & aurum non est mihi: Quod autem
habeo, hoc tibi do, &c. ita interpretatur, quasi voluisse Pet-
rus dicere: *Mihi in Nomine suo JESUS argentum & aurum
reliquit suum.* Olim superstitionis gentiles vita functis mone-
tam argenteam in os inferebant, ad persolvendum Charonti
naulum, ut prospera navigatione ad Elysios campos appelle-
rent. Volumus prospèrè pertransire rapidum torrentem
Mortis, & aquam intolerabilem dolorum & angustiarum, qua
tunc intrabunt usque ad animam nostram, atque feliciter ap-
pellere ad portum civitatem æternæ beatitatis ac perpetuæ re-
quietis sit nobis morientibus locò nauli aureum & argenteum
Nomen IESUS in ore, quod frequentissime in illo supremo re-
rum nostrarum articulo proferendum ac ingeminandum est.
Docuit nos in hoc Nomine exspirare in primis ipse IESUS qui
moriens & exspirans in Cruce habuit illud supra caput suum.
Docuit S. Apost. Paulus, qui sicut vivens IESUM perpetuo in
ore

ore habuit, ita ut aliquibus planè nimius in eo pronunciando
fuisse videatur; sic moriens ex abscesso etiam capite ter illud
pronunciavit. Docuit S. Ignatius Martyr, in cuius à feris
discerpti corde Nomen IESUS aureis characteribus expre-
sum repertum est. Docuit alter S. Ignatius Confessor Soc.
IESU auctor & Parens, qui (ut scribitur in ejus vita) cum in-
stare sensisset ex hac vita suæ migrationis diem, non neglexit à
Pontifice Max. benedictionem, & peccatorum indulgentiam
petere. Quam & impetravit. Sed quod neque morbus gra-
vis videbatur, neque ullum acciti medici, nuntiabant vitæ
periculum, ipse autem Pater de sua consuetudine nihil immu-
taverat, & familiariter de negotio quodam confiiendo, eā
ipsā nocte cum nostris (quanquam Ignatii verba ipsos habe-
rent sollicitos) ut consultius tamen aliquid facerent, posterum
diem Patres expectare constituunt. Qui ubi illuxit, suavissimè
illum animam agentem offendunt: accurrit, juscum por-
rigunt; negat sumendi tempus esse, & manibus junctis, oculis
in cœlum defixis, IESUM corde, IESUM ore implorans, placido
vultu, Sanctissimè migravit ad Dominum. Ab hoc Magistro
non degener fuit discipulus, sociusque S. Franciscus Xaverius,
alterum Societatis jubar, qui in Sanciano animam agens iden-
tidem repetebat: *Iesu Fili David miserere mei. Iesu Deus Tursell. l. 5.*
cordis mei! donec eum vox pariter ac vita defecit. Patres *vit. c. II.*
Iusos imitatus virgineus juvenis B. Aloysius Gonzaga, cùm jam *Cepar. l. 2.*
ne loqui nec se movere ultrà posset, jamjam Sanctam ani-
mam exhalaturus, quo potuit nisu Nomen Iesu ultimum ef-
*fatus est, atque etiamnum labia movens modicè, feliciter eò
navigiam appulit, ubi deinceps non poterit metuere naufragium* *nec ullam animi perturbationem aut dolorem.* B. item
Stanislaus Koska antiqua Polonorum prosapia oriundus, ipso
Assumptionis B. Mariæ Virginis festo die cum eadem, ut p̄g. *invit.*
dixerat in cœlum transmigratus osculum Crucis, & in ea
Christo, Mariæque imagini postquam cupientissimè impressit,

Ribad. l. 4.
vit. c. 16.

Chryl. Orat.
de S. Philo-
gon.
Zachinus

Marcell.
Cervin.

exclamavit: J E S U S M A R I A unáque & clamandi & vivendi finem fecit. Nec prætereundus est Soc. universæque Ecclesiæ insigne lumen Robertus Bellarminus ejusdem Ecclesiæ Pater purpuratus, qui teste Marcello Cervino, cum morte colluctans dicebat: Ea in fide morior, quæ libris meis defensa & comprehensa est: nunc ibi in domum Domini & meam: Corpus hoc meum sine ulla pompa apud Patres Soc. sepelite. Hæc fatus oravit symbolum apostolicum, Psalmum 50. orationem dominicam & Angelicam salutationem. Quibus absolutis, trigesies Summo pietatis affectu pronuntiavit J E S U S M A R I A, & in his Nominibus transito Jordane hujus vitæ cœlestem patriam fortunatō adiit. Judic. 12. Occupantibus Galaaditis vada Jordanis, per quæ Ephraim reversurus erat, cùm venisset ad ea unus aliquis de Ephraimitis, fugiens, atque dixisset:

Judic. 12. Obsecro ut me transire permittatis: dicebant ei Galaaditi: Numquid Ephrathæus es? quo dicente; non sum: interrogabant eum: Dic ergo Scibboleth, quod interpretatur spica. Qui respondebat Sibboleth: Eadem literâ spicam exprimere non valens; statimque apprehensum jugulabunt in ipso Jordanis transitu. Cùm anima nostra fugiens de corpore pervenerit ad vada & portus mortis, inveniet eos ab Angelis Dei ministris, circumquaque obfessostum rogabitur à Præposito Paradisi S. Michaële: numquid Euphratæus numquid alienus es? respondentे illa: non sum; sed Christianus sed Catholicus, sed Jesuanus; instabit Michaël: dic ergo J E S U S. Si rectè pronunciârit, si dixerit J E S U S, salva re in sortem Nazaræorum, id est Sanctorum, transibit: quod si locò J E S U magum aliquem & Cacodæmonis filium Bar-J E S U nominârit, eidem patri suo mora nulla jugulando tradetur; perierat cù Apostolorum abortivo eorundem Princeps, nisi misericorditer à Dominio respectus fuisset, & propter quid perierat, nisi quia ancillæ ostiariæ, à qua ingressum in atrium in Principis Sacerdotum poscebat, ipsum alloquenti, ac dicenti: Et tu cum J E S U Na-

Act. 13.

Marc. 14.

Nazareno eras, negativè respondit: *Neque scio neque novi quid dicas, cum alioqui Iesu tam sàpe & nominare & confiteri solitus fuerit, ut ex ipsa illa negatione, quâ negabat se eum nosse, modòque pronunciandi à circumstantibus pro Galilæo & Iesu Discipulo sit habitus; reponebant enim illi:*

*Verè ex illis es, nam & Galilæus es, & loqua tuata manifestum facit; quare nè Galilæus sed Euphratæus magis videretur cœpit Euphraim itice loqui & anathematizare & jurare, quia nescio hominè istum quem dicitis. Ephræt & sunt (ait Ugo Cardinalis) Ugo in c. 12^v, divites hujus mundi. Dic ergo: Euphræta non potest dicere Schibboleth, quod interpretatur spica, sed Sibboleth, quod interpretatur spica palea. Per spicam, ubi est solidum granum, intellegitur fructus vita æternæ. per paleam: vanitas temporalis, hanc dicere potest Euphraim & non illam, quia divites de cœlo & de fructibus vita æterna non noverunt loqui, sed de terra sua & fructibus ejus, tota locutio eorum est, non in vita tantum sed in ipsa etiam morte. Fuit dives non nemo aurifaber, Pater Barri cui jamjam animam agenti dum argenteam Crucifixi effigiem porrigerent eam ut oscularetur Iesuque Nomen invocaret, ipse exstantibus querere cœpit, quanto argenti illius uncia, è quo Crucifixus formatus erat, constaret. Alterius è ponte in subjectas aquas unâ cum equo pro lapsi novissima verba fuere: *Rapiat me diabolus.* Rapuit sane quod suum erat, rapuit spicam paleam, materiam ignis inextinguibilis, at me & vos (quod singulis pro novo anno unicè precor) dum tempus propinquæ mortis advenerit de nostra spe & operatione securos, & de gloria retributionis hilarescentes amanti sinu excipiat Iesus cum MARIA, inclamantes & dicentes: *Iesus MARIA.**

Greg. hom.
mil. 13^v

Do-

DOMINICA SECUNDA POST NATIVITATEM DOMINI.

Consideratio IX.

Jefulus nascens Amor fugitivus.

*Secessit in Partes Galilææ & habitavit in Na-
zareth. Matthæi 2.*

I.

Si usque adeò fortis perhibetur amor, ut nihil non vincere
sac superare queat, juxta tritum illud carmen: *Omnia
vincit amor:* quid est, quod illi cervorum & caprearum
pedes, aliasque volucrum tam Sacrae paginæ quam docta attribuit Antiquitas? Propertius Poëta ethnicus de eo ita canit:

*Quicunque ille fuit, puerum qui pinxit amorem,
Nonne putas miras hunc habuisse manus?*

*Idem non frustra ventosas addidit alas,
Fecit & humano corde volare Deum.*

Et Poëta Sanctior:

*Velox nimium transcurrit amor,
Fugit ac refugit, nescio quoniam.
in Sacro cantico hortatur eundem dilecta sua: Fuge dilecto-
mi, assimilare caprea, hinnuloque cervorum. Cur fugam
suadet, quem tantopere apud se retinere paulò antè cupiebat,
ut diceret: Inveni quem diligit anima mea: tenui eum nec di-
mittam? An forte periculum aliquod unde unde imminens
illi metuit? est enim quam credulus tam meticulosus amor,
qui sicut omnia credit & omnia sperat, ita omnia timet, omnia
suspecta habet; ut non minus recte facturus erat Jupiter, si
quemadmodum Dolorem Voluptati, sic & Amori Timorem*

Leo San-
ctius in me-
lodram.

Cant. 8.

Cant. 3.

in-

indissolubili nexu copulâset. *Insidia, insidia divina cupido!*
Heu! fuge crudeles terras: fuge Judæam, futurum est enim Virg. &
ut Herodes quarat animam tuam ad perdendum te: fuge in
Ægyptum, & esto ibi usque dum pericula transeant, usque ad
obitum sanguinarii Tyranni. Et ecce Tyrannus multorum
millium innocentium sanguine nec dum satis exsaciatus, at-
que etiamnum sanguinem tuum sitiens regnis tandem tuis
succubuit, &

Qui prius indomitus tibi tela necemque parabat. Sabia.

Ecce dedit vietas in tua vincula manus.

Jacet funeratus, & crudeliore quam quod tibi machinabatur
letho peremptus: Revertere revertere, dilecte mi, similis esto Cant. 2.
iterum capre & hinnulique cervorum super montes Bether; ut
scilicet eâ, quam fugiebas &c, si fieri potest, majori etiam celeri-
tate in Judæam tuumque natale solum redeas. Et en, ipse re-
diit, immò non rediit, sed revolavit (*nescit enim tarda moli-* Ambros.
mina amor) revolavit ceu *avis candida cum vere rubenti,* Virg. Ge-
postquam nimirum *hiems* persecutionis *transit, imber sanguini-* org. 2.
narius abiit & recessit. Sed enim nova timoris materies, no-
va fugæ necessitas, mali corvi malum ovum Archelaus Judææ
sceptra pro Herode Patre suo obtinens; non Jerosolymis re-
gnis sede, non Bethleemi paternâ domo, fida statio; in Gali-
læam transmigrandum, in Nazareth oppidum ignobile di-
vertendum: illic amor noster paryulus, donec adolescat, in
paupere tuguriolo latebit melius, quam si arces Solymæas pa-
lam perambulare. Quippe occultare fese Amori perquam
utile saepe fuit, cuius ex occulto quam ex aperto plerumque
major esse virtus solet. Docebimus itaque præsenti discursu
teneræ ac molliori ætati fugam & latibula præ publico tutius
eligenda.

II. Audiens, Joseph, quod Archelaus regnaret in Judæa
pro Herode Patre suo, timuit illò ire: & admonitus in somniis
secessit in partes Galilæa; & veniens habitavit in civitate,

Arand. in
prolog. lib.
de terr. S.

Joan. I.

Matth. 13.
Marc. 6.
Euseb. l. 9.
de demost.
c. 4.

qui vocatur Nazareth. Distabat Nazareth ab Ierosolymia tēste Aranda, leucis 30. itinere dierum quatuor circiter aut quinque, locus usque adeò obscurus, ut in proverbium transferri: *A Nazareth potest aliquid boni esse?* potestne prodire homo alicujus nominis, nè dicam Messias? & tamen illic Dei Filius totam suam adolescentiam ità occultus exegit, ut nè qui-dem ipsis concivibus suis, quis reverā esset per annos facile vingtī tres innotesceret, qui ipsum non Deum, sed fabri filium existimabant, eò quod Josepho nutritio suo in arte fabrili operam suam palam locaret. Nonne hic est, ajebant, fabri filius, vel, ut Marcus: Nonne hic est faber filius Maria & Joseph? Quippe non erat par (ait Eusebius Cæsariensis) Salvatorem puerum adhuc miracula exordiri jam tum, atque ante tempus divinam ostentare virtutem; Non quod infirmioris esset virtutis puer ac fuit vir; sed ut exemplo suo diceret, teneram & adolescentem virtutem melius abscondi, quam publico expanni, puerosque & adolescentulos tutius domi sub obedientia Parentum & cura paedagogorum delitescere, quam foris circumcursando in pravæ Societatis conjici periculum.

III. Philo disertissimus Hebræorum de translatione justi ac innocentis Enochii, quam hæc utilis ei fuerit nè vivēs inter peccatores & ipse perverteretur, cùm disserisset, ait: Virum improbum vehementer delectari publicâ foraneâque perditissimorum etiam hominum consuetudine & garrilitate: *E* diverso probus quiete vita amator, secessum, & solitudinem diligit: latere ignotus cupiens, non Societas humana odios: estenim cum primis amans hominum: sed quia fugitat vitia, quibus vulgus delectatur, latum rebus dolendis, gaudio dignas agrè ferre solitum. Quapropter inclusus domi se plerumque continet, vix unquam limen transcendens: aut quo salutatores crebros deviter, abdens se in aliquod rusculum solitarium, suavius victurus cum viris præstantissimis, quorum tempus abolevit corpora, solis virtutibus eorum superstitionibus.

bus, quo in literis prosa versaque oratione prodita, ad posteritatis memoriam in meliorem frugem reducunt animas. Quamobrem dictum est de Enoch, quod translatus non inventebatur, videlicet in publico, & usque hodie cum Elia ubi ubi absconditus latet, donec suo tempore adversus immanem bestiam Antichristum, ambo pugnaturi palam compareant, nimirum sicuti athletae & pugiles antequam in campum aut arenam descendant, longe ante privatos inter parietes vires suas experiuntur; ita Deus Enochum & Eliam tanto tempore abscondere voluit, quo ad resistendum tam valido hosti renderentur & firmiores & exercitatores, & quod de justo generatim ait sapiens, rapuit eosdem, ne si inter homines porrò egissent, malitia mutaret intellectum eorum. Sic etiam primi sui adventus praecursorem, primumque, ut ita dicam, Eliam, Joannem Baptistam, quia omnino inculpatum cupiebat, ab ipsa infantia in deserto abdi voluit, quemadmodum cavit Ecclesia Joannem ipsum sicalloquens:

Antra deserti teneris sub annis

Civium turmas fugiens petisti

Nè levi posse maculare vitam

Crimine lingua.

Quam perfectionem absolutam vocat Apostolus dicens: *Si Jac. 3.*
quis in verbo non offendit, hic perfectus est. Talis autem decebat (liceat mihi verba Pauli huc detorquere) ut esset Praecursor Domini, perfectus, *Sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus,* & excelsior non tam *cælis quam se ipso factus;* quos solitudinis fructus esse docuit Propheta Jeremias: *Bonum est, inquiens, viro cum portaverit jugum, virtutis, cum adolescentia sua; sedebit solitarius & tacebit, quia levavit super se,* vel, ut alii legunt, *quia levavit se super se.* Hac de causa in veteri lege religiosi parentes parvulos suos statim ab eorum ablactatione in templum Domini deportabant, ut illic absconditi à Sacerdotibus pie educarentur id quod de

Samuele parvulo Sacra Regum narrat historia: Adduxit, Anna
mater Samuelis, adduxit eum secum ad domum Domini in
Silo, puer autem adhuc erat infantulus & ministrabat ante fa-
ciam Domini. Quantus porro ex illa solitaria habitatione eva-
serit & Propheta & Sacerdos & populi Judex, satis aperte insi-
nuat Psalmista, dum eum tertium à Moyse numerat, ita ca-
nens: Moyses & Aaron in Sacerdotibus ejus (Dei) & Samuel
inter eos, qui invocant nomen ejus. Sic Sanctissimam Virgi-
nem Mariam etiam tum trimulam Sancti Parentes in templo
præsentarunt, ut illic veluti thesaurus & gemma preciosissima
soli Regi Regum usque ad diem desponsationis suæ asservare-
tur; de qua ita D. Ambrosius: Sola in penetralibus, quam ne-
mo virorum viderit Solus Angelus repererit: Sola sine comite,
sola sine teste, nè quo degenera depravaretur affatu, ab Angelo
salutatur. Verè abscondita, quemadmodum eam appellat
Isaias c. 7. vaticinans: Ecce Virgo concipiet, ubi protò Virgo
hebraicè est haalma, quod abditam & absconditam significat,
proprium enim est virginibus per tempus virginitatis earum
occultari & latere, quas idcirco citatus doctor hortatur: Disci-
te virgines non circumcurfare per alienas ades, non demorari
in plateis, non aliquos in publico misere sermones. Religiosum
Judaeorum exemplum imitati devoti Christiani, quò sanctiùs
filiolis ac filiabus suis consulerent consueverunt & ipsi hos & il-
las ad Sacra Deoque dieata loca, ad cœnobia & monasteria te-
neris ab annis bonæ educationis gratiâ mittere, ut colligere li-
cet ex epistola D. Hieronymi ad Lætam de institutione Paulæ
in hæc verba scribentis: Postquam ablactaveris eam cum
Isaac, & vestieris cum Samuele, redde pretiosissimam gemmam
cubiculo Mariae & cunis JESU vagientis impone, Nutriatur
in monasterio, sit inter virginum choros: jurare non diseat:
mentiri Sacrilegium putet: nesciat seculum: vivat Angelicè:
sit in carne, sine carne; hoc modò nutritum legimus Sanctissi-
mum juvenem Thomam Aquinatem, qui annum quintum
agens

1. Reg. 1.

Psal. 98.

Ambr. l. 2.
in Luc. 1.

Isa. 7.

Ambros.
ibid.Hieron.
epist. ad
Læt.

agens Monachis S. Benedicti Cassinatibus custodiendus traditus fuerat (quò illà tempestate etiam Regum ac Principum filii educationis gratiâ tradebantur) ubi poitequam sedere solitarius & usque adeò tacere didicisset, ut bos mutus ab insolenti Sodalium turba diceretur, adeò se super se levavit, ut Angelos ipsos intellectu & sapientiâ suâ æquârit, hodieque in universâ Ecclesia gloriose audiat *Doctor Angelicus*. D. item Rosa Li- mensis nuper à Clemente X. in Sanctorum numerum relata, quò se conversationi hominum subtraheret, in hortulo paternæ domus angustum sibi construxit tuguriolum, ubi cum Deo ac Cœlitibus longè jucundius conversaretur, verè in hoc florem sui nominis *Rosam* imitata, quæ multis ac densis spinarum aculeis circumquaque munitur, nè temere à quoquam carpi ac violari queat.

IV. Et quidaliud sunt teneræ proles ac liberi quam matrimonii & reipublicæ flores teste Clem. Alexandr. *Matrimonii flores liberi* quos quidem carnalium pratorum divinus colligit agricola, &c. & D. Hieronymo ad Salvinam, ubi de illius filiis loquens: *Rosarum*, inquit, & *litorum calathus*; *eboris*, *ostri*, que commercium. Huc facit titulus Psalm. 44. qui inscribitur: *Pro iis qui commutabuntur filiis, Core, ubialii legunt; Pro floribus seu liliis filiorum Core,* hoc est pro filiis Core, qui sunt veluti quidam flores & lilia. Quid verò communè cum floribus habeant, inter alia hoc allegari potest, quod sicut hi pervigilem custodiā requirunt, nè desfluant, marcescant, nè sive à pruina sive ab æstu decoquantur, nè vé à transeuntibus temerè carpantur; sic & liberi quam diligentissimam vendicant pædagogiam, nè in pravos mores dilabantur, & ab innocentia prima deflorescant: citò enim (verba sunt Divi Hieronimi) *citò flores pereunt: citò violas & lilyum & crocum pestilens aura corruptit:* nec minori celeritate atque facilitate teneræ juventutis corrumpunt bonos mores colloquia prava candidamque simplicitatem perversa improborum exempla denigrant;

Clem. Alex.
l. 2. pædag.
c. 8.

Hieron. ep.
9. ad Salv.
Psalm. 44.

Hieron. ep.
7. ad Lar.

cum plerumque ætas illa ad malum quam ad bonum prionior ac proclivior esse soleat, uti inter alios observavit D. Ambro-

Job. 13.

sius in illud Jobi; *Consumere me vis peccatis adolescentia mea.*
Ambros. l. i. *Pulchrè, inquiens, id atatis arripuit ad querelam, qua magis*

in Job. c. 7. ad vitium lubrica esse consuevit. Et statim laudatis alii

ætatibus de adolescentia subdit: *Adolescentia sola est invalida viribus, infirma consiliis, vitio calens, fastidiosa moni-*

toribus, illecebrosa deliciis. Et S. Augustinus: *Hac ætas pluri-*

bus ac majoribus tentationum tempestatibus, quam aliæ, qua-

titur; Hac fluctuum crebriore impetu seculi inundantis operi-

tur. Proinde sicuti parva aliqua cymba magnis fluctibus te-

merè exponenda nequaquam est, nec parva lux vehementio-

ri vento objicienda, ita pusilla juventus à tentationum flucti-

bus & flatibus sedulò amoventa. Exigua flamma vento, ait

non nemo, tenera virtus periculis exposita extinguitur; ingens

flamma eodem vento, ingens virtus eisdem periculis oblata

extollitur & exardescit, sic parva cymba à fluctibus hauritur,

magna & rostrata navis eisdem resistit ac repugnat. Judith

matrona, quia adulteræ virtutis citra noxam Assyriis exponere

se potuit, gloriosem insuper victoriam de lascivo tyranno Ho-

loferne reportans: contrà Dina quindecim annorum puella,

quia temerè egressa ad curiosè videndas Sichimitarum mulie-

res, rapta est & suæ virginitatis florem deperdidit. Nam, ut

ait Tertull. *Publicatio virginis bona, stupri passio est.* Sic

& de Levina fœmina vaga cecinit Martialis:

Dum modò lucrino, modò se committit Averno, &c.

Incidit in flamas, juvenemque secuta, relietō

Conjuge, Penelope venit, abit Helene.

Prudenter ergo S. Martinus Turonensis præsul: *Mulier, in-*

quit, intra murorum munimenta se contineat; cuius hec prima

virtus & consummatio victoria est, non videri.

V. Idem de pueris & adolescentibus judicium esto, quorum

non minus principalis virtus & victoriæ consummatio censem-

da

Augustin.
serm. 246.
de temp.

Barrad.
Tom. 5.
lib. 10.
cap. 12.

Tertull.

Martial.

Sulpit.
dial. 2.

Consideratio IX.

111

da est in publico non videri, aut si necessitatis gratia prodeundum in publicum, id cursim & festinatò pertransant exemplum modestissimae DEI Matris, de qua D. Ambrosius: *Maria in domo sera, festina in publico;* in silentio item ac modestia, *Matth. 12.* exemplo adolescentis Jesu; de quo Propheta Isaías apud Di-vum Matthæum: *Non contendet, neque clamabit, neque au-diet aliquis in plateis vocem ejus.* Quàm verò fori fugitans *Ambros. 1.* fuerit Christus, eleganter describit D. Ambrosius: *Non in foro, 3. de Virg.* inquiens, non in plateis Christus reperitur: non est Christus circumforaneus, Christus enim est pax, in foro lites: Christus justitia est in foro iniquitas: Christus operator est, in foro inane otium: Christus charitas est, in foro obtructatio: Christus fides est, in foro fraus, & perfidia: Christus in Ecclesia est, in foro idola, &c. quales fœminas fucatas appellat S. Gre-gorius. Quot quantosque adolescentes præclaræ indolis, & magnæ spei ipsimet novimus, qui quòd liberius ac justò frequentiù domo egressi publico se se committerent, in nescio quæ abominanda idola, in prædones & raptore, in lites, jurga, rixas, gladios incidere, ubi & innocentia primâ imò & ipsa pretiosissimâ vitâ miserandū sunt spoliati, qui si se intra septa & claustra domiū continuissent, magno olim reipublicæ *Eccle. 3.* esse poterant emolumento & ornamento. Rectissimè siquidem atque verissimè pronunciavit sapiens: *Qui amat periculum, Greg. hom.* peribit in illo; & S. Gregorius: *Depradari desiderat, qui the-saurum publicè portat.* Qui major rerum publicarum thesaurus, quàm adolescentes & prima innocentia? quid porrò thesauro utilius quàm abscondi? thesaurus enim (pergit citatus Gregorius) absconditur ut servetur; exponis illum temerè, & perdidisti.

VI. Quare sollicitè D. Chrysostomus parentes, preceptores & curatores monet, ut quàm diligentissimam custodiam li-Chrysoft. beris adhibeant: *Magnū, inquiens, habemus pretiosumq; depositum, filios: ingenti illos servemus cura, ne fur id nobis astutus Tim.* aufse-

auferat & paulò inferiùs, in eos, qui secùs faciunt, acriter in-
 vehitur: Ut fundus sit optimus, cuncti molimur, eumque fidelis
 viro magno cum studio tradimus: & agasonem, atq; mulionem,
 procuratorēm, qui nobis magnā benevolentia afficiatur, inqui-
 rimus: ceterum quod nobis charissimum omnium est, omnino
 negligimus, neque curamus, quo pæcto filium nostrum fidelicui-
 piām viro permittamus, qui ipsius tueri ac servare pudicitiam,
 gemmā quavis pretiosiorem posse. Igitur nobis possessionum
 cura est potior quam eorum quorum illæ gratiā comparantur:
 quod profectō absurdissimum, atque stolidissimum est. In eos
 dem parentes similiter D. Hieronymus: si tanti vitium:
 quare majoris non sit pretii margaritum? Quasi diceret, siter-
 renas opes ac possessiones, viliorēsque gemmas tam diligenter
 custoditis; cur pretiosiores, quales sunt filii, adeo negligitis?
 cuius rei indignitatem in tantum lamentatus est Crates Phi-
 losophus ut diceret, se, quoad fieri posset, in altissimo urbis
 loco vociferaturum: Quo tenditis homines, qui rei facienda
 nimium impenditis studium; filiis instituendis, quibus vestras
 opes relinquatis perexiguum. Quibus ego adderem, subdit
 Plutarchus, tales patres perinde agere ac si quis de calceo sit
 sollicitus, pedem nihil curet. Non eduxisset tam præmature
 leunculum suum inter leones mater illa leæna: non fuisset ille
 tam citò factus leo usque adeo ferox, ut didicerit prædam ca-
 pere, viduas facere, & homines devorare, quò factum ut gen-
 tes auditā ejus tantā ferociā non absque vulneribus suis cepe-
 rint eum & adduxerint eum in catenis in terram Ægypti.
 Quam satiùs ille fuerat inter sibi compares leunculos diutius
 enutrirī, dum adultior factus regnum non juvenili ferociā, sed
 maturō judiciō, prudentique consiliō nōset moderari. Non
 sivissent extra civitatem Bethel parvos pueros suos egredi pa-
 rentes eorum ad illudendum S. Seni Elisæo; non sivissent qua-
 draginta duo illorum ab ursis de saltu prodeuntibus tam misé-
 rabili lanienā dilacerati. Non dedisset ante tempus bonus Pa-
 ter

Hieron. in
epist. ad
Læt.

Plutarch.
de educ.
liber.

Ezechiel.
c. 19.

4. Reg. 2.

ter Evangelicus adolescentiori filio portionem substantia, quæ Luc. 15.

eum contingebat: non is in tam sordidam sortem qualis erat

pascere porcos, incidisset. O quot parentes similem in mo-

dum filios suos adolescentiores perdunt, dum eis liberiorem

pro lubitu evagandi indulgent facultatem, dum pecuniam in

comessationes, comportationes, lusus, & nescio quas gerras lar-

gè suppeditant! quibus compedes & numellas salubrius in-

jicerent, juxta consilium Siracidæ adolescentem filium sic al-

loquentis: Injice adolescentis Injice pedem tuum in compedes il-

lius, (disciplinæ) & intorques illius collum tuum, vel ut Vata-

blus legit, in numellam ejus cervicem tuam: vox enim tor-

ques, secundum Interpretes, hic non significat monilia, & ca-

tenas aureas, sed numellam seu collare, vinculum, quo collum

canum stringitur. Rectè autem torquis dicitur quòd collum

torqueat & cruciet. Sicut ergo (pergit Interpres Lovanien-

sis) pedes equorum, & boum, in pascuis & septis, nè ea tran-

siliant, arctantur compedibus; & sicut canes cinguntur col-

lari, ut per catenam illi annexam ab hero duci regique pos-

sint: sic pariter sapientia disciplinâ & castigatione suâ, quasi "

compede & collari, ligat & stringit tam collum & caput, id "

est mentem, voluntatem & affectus, quam pedes, id est, gres-

sus, motus & actiones nostras, nè illecebrâ, aut concupisen-

tiâ aliquâ abrepti exorbitent, hominemque in abyssum præ-

cipitent, sed ut sapientia ductum, & disciplinam quaqua-

versum sequantur, itaque rectam virtutis in cœlum viam in-

cant. Hinc de Sanctis & perfectis viris Gregorius ita disse-

rit: Sancti viri non incongruè compedit dicuntur: quia liga-

ti vinculis disciplinae Dei, nequam ad ea, quæ exteriora sunt,

vagantur; & quasi gressum operis immobiliter figunt, dum à

Conditoris desiderio nunquam recedunt.

VII. Sapientissimè proinde munifica Mecœnatum pie-

tas in urbibus, ubi gymnasia & academiæ prostant, certas do-

mos, quæ Seminaria & Collegia convictorum vocamus, fun-

davit & erexit, ubi studioſa juventus à strepitu fori ſegregata certisque regulis aſtricta ſub cura pervaſili Præfidum educa-tur & continentur, unde pro arbitrio nulli fas in publicum egredi, & vel unica, præfertim nocturna ē domo emanſio ē cœtu illo exterminium eſt. Ejuſmodi domos quidni Nazaretha quædam & Rosata dixerim, unde tot præclaris rei publicæ flo-reſ prodeunt & nam ut Romana taceam ubi ejusmodi Colle-giorum ē diversis nationibus collectorum pulchra varietas, ſola Societatis noſtræ Provincia Bohemias bene longum texeret catalogum eorum, qui in Collegiis convictorum ſive Olo-mucenſi, ſive Pragensi nec non Seminariis aliquando enutriti ad infulas Epifcopales, ad Prælaturas, ſummasque tam Eccleſiaſticas quam ſeculares dignitates poſtmodum ſunt evecti, hodieque velut roſæ & lilia in hoc regno gratioſe florent, ac redolent. Niſirum ſicut spinæ quibus roſas natura vallavit iþis roſis non tantum nihil officiunt, ſed ſumme proſunt, cum nè tam facile carpantur in juriſque pateant; ita leges & præcepta quibus juventus munitur & quodammodo ſepitur, ſummo juventuti emolumento eſt, tum nè à pravis ſociis de-pravetur virtuſque obruatur, tum ut eò vehementiorem virtutis exſpiret fragrantiam. Hinc D. Ambroſ. de ejusmodi legi-bus de præceptis loquens: *Salubriter, inquit, iſta compungunt: stimulant iſta, non vulnerant.* Non vulnerant utique roſam, ſed ejus aggressorem quomodo vulnerârunt Cypriam illam non ſatis pudicam Deam ē cujus ſanguine roſas factas purpu-reas malè fabulantur Poëtæ; minimè enim muliebri ſanguine, nè dicam meretricio, illæ rubescere poſſunt, quæ ad mu-lieris præſentiam, rāceo contactum, nativâ ſuâ verecundiâ mirum quantum erubescunt. Atque hoc incitamentum fuit S. Bernardo, ut ſe ſe in regularem & spinarum inſtar aculeatam abderet cuſtodiam: cum enim etiamnum adoleſcens ob-formæ pulchritudinem à mulierculis adamaretur, eaque non ſemel à ſe abegiffet, clamans: *latrones! latrones!* tandem ut:

ut ab omni ejusmodi tentatione securus foret, ad claustra Cisterciensis Monasterii profugit. Idē fecerunt multi alii juvenes de quibus religiosorum Ordinum historiæ, qui cùm se nè quidem in paternis ædibus satis tutos putarent (nam & paternæ domi sepe fures latitant, eò nocentiores quò occultiores) parentibus ipsis in ciis fugâ elapsi ad religiosas domos velut ad securissimum asylum confugere. Veri Nazaræi candidati, & quidem, ut canit Ecclesia, *candidiores nive, nitidiores lacte, Saphiro pulchriores*; verè Sancti, Nazarens enim, teste D. Hieronymo, *Sanctus interpretatur*.

Hieron. l. 7.
com in c.
2. Matth.

Quorum ut similis fatus, quos alloquor adolescentes, in eo saltē illos imitemini (neque enim parentum fugam mihi suadere fas) omnimodis Judæam fugite, ubi Archelaus, id est peccatum regnat, verūm domicilium vobis figite in ea civitate & domo, in qua habitavit adolescens Christus. civitas hæc virtus est Philone Hebræo teste, qui in illa verba Gen. 2. *Ah-scondit se Adam, &c.* sic scribit: *Civitas sapientum (& sapientiae studiosoru) propria, Virtus ipsa est, civitas verè florentissima & reliquarum flos, quemadmodum Nazareth Galilææ totiusque mundi florem appellavit D. Hieronymus ad Marcellam ita scribens: Ibinus ad Nazareth, &c., juxta interpretationem Hieron. ad nominis, florem videbimus Galilæe non tamen Galilæe solum, sed totius orbis, &c. in qua mundi flos Christus est conceptus & nutritus.* Andreas vero Hierosolymitanus Episcopus Nazareth cum terrestri paradiſo confert: *Nazareth, inquiens, Eden hortum emulata ipsius Eden Conditorem suu suo completitur, &c.* non indicat ergo nunc Nathanaël aliquis illusorice à Nazareth potest aliquid esse boni? immo summum bonum; & quicunque Nazareus non est, bonus non est.

Philo l. 2.
allegor.

Hicron. ad
Marcell.

Andr. Jerol.

Joan. 1.

IN DIE EPIPHANIÆ DOMINI

Consideratio X.

Jesulus nascens Astrorum splendor.

Ubi de splendore Virtutis ; quæ sola vera est
Nobilitas , cuius gentilitium Insigne STELLA.

Vidimus stellam eius. Matth. 2.

I.

EX oriente Siderum Principe Phœbo tanta est illius lucis
majestas, ut ad ejus conspectum minora astra, quæ no-
cturno tempore ceu totidem faces, appensæque de la-
queari coeli lampades grata scintillabant varietate, continuò
fugam capessere & quasi extingui videantur :

--- ecce vigil nitido patefecit abortu
Purpureas Aurora fores & plena rosarum
Atria, diffugiunt stella quarum aguina cogit
Lucifer, & cœli statione novissimus exit.

I. Exortus est nuper in Judæa divinissimus ille Sol, qui ab æterno
lucem habitavit inaccessibilem, quique plus quam Cimmerias
in quibus humanum genus confidebat, tenebras dissipaturus
venerat, procedens tanquam sponsus auricomus de thalamo
suo: quid igitur est (cum magno Leone quæro) quod eo ad-
veniente ac natu stella nova claritatis apparuit, qua illustrior
cateris pulchriorque sideribus, facile in se intuentium oculos
animosque converteret ?

Leo Papa
serm. I.
de Epiph.

II. An fortè idem ille Sol recens exoriens alicujus præterea lu-
minaris op, habuit auxilio qui per se ipsum non unū duntaxat
hemisphærium sed omnes simil orbis partes Orientem & Oc-
cidentem, Austrum & Aquilonem illuminare potis erat ? Po-
tis

1. Tim. 6.

tis erat omnino ; sed (ut ferè gratia naturam imitatur) non simul ac semel , sed sensim & successivè alii exalia plagæ se se manifestare voluit ; hinc per internuncium Angelum primum Pastoribus Judæis manifestum se fecit ; subinde per Stellam Arabiæ & in partibus Orientis ; post paulò Ægypto ; exinde per suos Apostolos cæteris regionibus & nationibus ; donec in omnem terram exiret claritas ejus & insines orbis terra lux veritatis ejus. Hodierna itaque Stella nuncius , & ut honorificientius loquar , Legatus fuit , quæ Orientis Principes , veluti minora astra (nam quid sunt Principes nisi astra terræ ?) ad præstandum suo Principi & astrorum Imperatori homagium celebrandūque intimum consilium convocaret . Nec alienum hoc à stellis officium , Chaldaei enim veteres , sub invocio licet fabulae , triginta stellas constituebant , quas Deos Confiliarios nuncupabant , quorum media pars loca infra terram ; altera res mortalium , & quæ in cœlo siant , contemplatur : decenique intervallo dierum unum à supernis ad infernos veluti stellarum nuncium alegari . Quia verò legatum splendido ornatu conspicuum decet apparere , eoque splendi diore quo illustrioris Principis personam refert , merito hodierna stella omnium in se oculos & animos convertere dicitur , cum usque adeò splendida compareat , ut solem materialem exsuperet , concinente Ecclesia :

Diodor.
Sicul. l. 2.

Quem stella , quæ solis rotam

Vincit decore ac lumine ,

Venisse terris nunciat

Cum carne terrestri D E U M .

O stella verè boni ominis , omnisque felicitatis lœtissimum signum ! surgite , surgite sapientissimi Principes , iter adornate , munera expedite , dromedarios concendite , in Judæam properate , ubi vos Sol vester opperitur , non jam in aula & regia aliqua , quæ sit sublimibus alta columnis ,

Ovid. 2.
Metram.

Clara micante auro , flammisque imitante pyropo .

Sed in caula & umbroso specu ; sedens non

Jam in Solio claris lucente Smaragdis ,

Sed jacens in præsepio aridi rigente

Stramentis , non in signo servidi Leonis

æstuans . Sed inter Taurum & Asellum medius vernans , qui etiam circum caput omne micantes . Depositus radios , quò proplus ad eum accedere , liberiùs intueri , vestráque cum eo consilia communicare valeatis .

At quid ego Principes istos ad festinandum exhortor , quando ipfi suam sponte , se mutuo exhortantur , & visâ stellâ dicunt ad invicem : *Hoc signum magni Regis est , eamus & offeramusei munera , aurum , thus & myrrham ; & non tam eunt , quām currunt , canente iterum Ecclesiâ : currunt cum muneribus Magi , & quisolitè inquirentium est mos , obvios quoque rogant : Ilbi est , qui natus est , Rex Iudeorum ? vidimus stellam ejus in Oriente .*

III. Habere unumquemque hominum stellam suam , quæ ei mox ab ejus Nativitate ceu comes individuus adhæreat , in ejusdem corpus per occultas qualitates & influxus agat , humores alteret , & jam in bonum jam in malum inclinet non tamen necessiter , certum est apud Astrologos . Sic Hebræi planetam Jovem vocant *Tzaddic* , id est , iustum , quod justitiæ civili , ac civilitati studere videantur hi , quorum præst horoscopo : Martem appellant *Abbir* , id est fortē ac robustum , quod viriles & bellicosos faciat , propter naturalem inclinationem , quā eos afficit , qui sub ejus nascuntur signo : Solem cognominant *Schemesch* , id est ignem , seu calorem , quo omnia viviscat : Venerem dicunt *Astoreth* , à radice *haschir* , id est , *dictari* , quod clientibus suis opes & fortunas conferat , & idcirco inter fortunatas stellas ab Astrologis numeratur : Mercurium indigitant *saphar* à numeratione , seu rerum distributione , magnam enim habere vim in exacuendis ingenii , & augenda hominum industria existimatur . Unde peculiaris illi cultus à negotiatoribus instituebatur : Saturnum nuncupant

Scho-

Schoket, id est tranquillum & quietum, propter naturalem eorum inclinationem, quorum Horoscopum obtinet, ut ferè sunt melancholici, tranquilli & contemplationibus dediti: Lunam denique prædicant leuanam, id est formosam propter candorem lucis, & vim humefactivam, quā in cerebrum hominis potissimum agit, teste Vallesio medico; unde stulti & lunatici, qui sicco sunt cerebro, in plenilunio maximè alterantur. Ad quid de virtute hodierna stellæ dicemus? numquid eam sine omni operatione atque influxu, & anonymam omnino relinquemus? dicite vos sapientissimi & astrorum peritissimi Magi, quas in ea observationes, quæ futurarum rerum omnia quæ prognostica deprehenderitis? diceris utique: hæc est ipsissima illa Stella, de qua multis antè seculis antecessores noster Balaam vaticinatus est, dicens: *Orietur stellæ ex Jacob, & consurget Virga de Israël, & percutiet Duces Moab, & vastabitque omnes filios Seth, & erit Jamæa possessio ejus, &c.* quæ Chaldaeus ita vertit: *Consurget Rex de domo Jacob, & ungetur Christus de domo Israël, & occidet Principes Moab, & dominabitur omnium filiorum hominum.* Non tamen solâ stellâ magistrâ & indice, mysterium tantum Magos cognovisse, sed ex revelatione magis divina per stellam quodammodo loquente docent. S. Patres: *Non enim*, inquit M. Gregorius: *Stella fatum pueri, sed fatum stellæ is, quia paruit, puer fuit.* Et D. Augustinus: *Sic intelligendum est, non per solam stellam, quamvis oculis suis insolita & inexperta luce fulgentem Magos in Oriente potuisse cognoscere, quisnam esset significatione ranti sideris dignus, cuius tessis ille fulgor existaret, quem tanta claritas nunciaret: sed alia nimirum revelatione indicatum divinitus, quod luce sideris tacitè signabatur, non utique loquente ipso sidere, sed aliter intimatum est, quis descendisset de cælo, & jaceret in carne sub cælo.* Dicitur tamen stella ejus, subdit idem Augustinus, quia Christum indicabat, & non ad decretum dominabatur. Quomodo enim dominatur

tur

Greg. homil. 10. in evang.
Augustin. serm. de Epiph.

Chrysolog.
serm. 157.

tur omnium dominatori, aut quid ageret in eum, qui agit & influit in omnia? Sic Petrus Chrysologus: *Vidimus, dicunt Magi, stellam ejus, & quid non ejus? stella ejus est non illa stella.*

Barrad.
To. 2.

Max, serm.
I.

Greg. Tu-
ron. l. 1.
mirac.

Luc. 10.

IV. Jam si stellæ secundùm Græcos filiæ Gratia sunt, quod aptius nomen stellæ isti imponamus, quām si eam vocitemus filiam Gratiae? utpote quæ ipsum authorem Gratiae Gentibus revelavit & pretiosissimum Dei donum, quale est lumen fidei, cum luce sua attulit: fides enim, ut ait nonnemo, stella est fulgentissima, quæ intellectui veluti cœlo infixâ ad Christum homines dirigit. Si verò secundùm Trismegistum stellæ oculi Deorum sunt, quantò magis hodierna stella oculus Dei, vel, ut eam appellat D. Maximus, *orbis oculus* erit appellanda, quæ Magos ad verum justitiae solem perduxit: *Ante cedebat eos, usque dum veniens staret suprà ubi erat puer, atque exinde velut munere suo jam perfuncta disparuit. Itane disperguit, quæ longè potiori jure, quām fabulosus ille Tauri inter signa Zodiaci micans oculus in cœlo perennare debuerat?* & quidem, quodsummè dolendum, si Ludolpho à Saxonia credimus, in cisternam proximam Bethleem, vel, ut alii opinantur, in profundum puteum delapsa est: *Est in Bethleem, refert Gregorius Turonensis, puteus magnus de quo Maria aquam fertur hausisse, ubi sapius aspicientibus miraculum illustre monstratur; id est stella ibi mundis corde, quæ apparuit Magis, ostenditur: venientibus devotis ac recumbentibus super os putei operiuntur linteo capita eorum. Tunc ille, cuius meritum obtinuerit, videt stellam ab uno pariete putei super aquas transmigrare ad alium, illò modò, quo solent super cœlorum circulo stella transferri, & cùm multi aspiciant, ab illis tantum videtur quibus est mens sanior. At quod tantum nefas bona stella commisit, ut ad puteum velut ad perpetuos carceres & tenebras damnaretur? nemo accedit lucernam & in abscondito ponit (ait ipsa Veritas) taceo in puteo. Non cecidit sed*

sed enim, non evanuit, sed in ipsis metu Sanctos Reges transiit,
& in eis longè gloriösius hodie lucet, qui cùm antehac essent
Principes terreni à Summo Principe cœli, quem adoratum ve-
nerant, facti sunt Principes siderei, ac Domini de Stella. Mos
est magnis familiis ab Insigni, seu signo gentilitio, denominari.

Sic in nostra Bohemia Domini de Hasenburg olim vocaban-
tur, hodiéque in historiis cognominantur, *Lepores*, seu Lepo-
rei, à lepore, quem pro clypeo gestant. Schellenbergii; *Apru-
gnæi* à capite apri; Leones à Leonibus. Rosenses à *rosa*;
Wrssovecii à *nassa*, quæ Bohemis Wrff dicitur; Sekercæ à
Securi; Bercæ à *Quercu*, seu patri è de Duba, &c. cur non &
Reges hodiernos dicamus Sidereos ac Dominos de *Stella*? qui-
bus illa ipsa stella, quæ eos in Bethleem duxit pro Insigni data
est, & usque hodie in posteris eorum clarescit, splendorem
suum in nostram usque Boëmiam, quāvis longissimè ab
orientे dissitam, diffundit: vetus enim traditio est, DD. Co-
mites de Sternberg magni in hoc inclito Regno nominis, ab
his ipsis S. Regibus propaginem suam ducere, & ideo eodem
cum illis signo, id est stellâ plus quam primæ magnitudinis, uti.
Joannes item Galliarum Rex, in honorem eorundem trium
Sanctissimorum Regum, Ordinem Equitum Sidereorum in-
stituit, qui stellam auratos vibrantem radios, pro galeri orna-
mento gestarent, cum hoc circumscripto lemmate: *Mon-
strant Regibus astra viā*; quo schemate (ait Symboli interpres)
altum Numinis providentiam, regentem in terris omnia, se-
Etari proposuerunt. Et sanè Equites ac Reges verè siderei sunt,
qui in omnibus actibus suis non semetipso, non proprium, ut
vulgò dicimus *Interesse*, non opes & honores, sed solum
unumque Deum ac ejus gloriam sectantur & querunt, uti se
quæsivisse profitetur adhuc in veteri lege sanctissimus Regum
David dicens: *Deum exquisivi manibus meis*; manibus, id est Psalm. 76.
operibus; manus enim apud Pierium operis hieroglyphicum
est; vel manibus, id est, palpando, quemadmodum facit is, qui

Cruger ms.
mor Sac.
Boh.

Petravæta
Sym. horo.
l. p.

in tenebris quidpiam vestigat, si forte attractare posset eum in carne venientem, quem tot votis desiderabat: fuisse enim le-gem yeterem instar tenebrarum testatur Evangelicus Propheta: *Populus qui ambulabat in tenebris (scilicet Judaicus) vidit lucem magnam, in adventu & nativitate Christi.* Ita quære-bant Christiani Reges SS. Stephanus & Ladislaus Ungariæ, Wenceslaus Bohemiæ, Michaël Bulgariæ Canutus Danicæ, Ericus Sueciæ, Edvardus & Osvaldus Angliæ, Sigismundus Burgundiæ, Ludovicus Galliæ, B. Ferdinandus Hispaniæ, Leopoldus Marchio & Archidux Austriæ, Cafimirus Poloniæ, Emmericus Ungariæ, B. Carolus Bonus Flandriæ, Ludo-vicus Siciliæ, Principes, Franciscus Borgia Dux Gandiæ, Gui-lielmus Aquitaniæ, Elzarius Comes Ariani, Aloysius Mar-chio Castilionensis & centeni alii, qui serenissimum ac illu-strissimum genus suum multò etiam serenius ac illustrius red-diderunt ex eo, quod stellâ, id est, virtute duce, Deum quæsi-veriat, ut idcirco tota illorum vita non videatur aliud fuisse quam continua profectione ad Deum ejusque gloriæ amplifican-dæ studium, cui omnia terrena bona, ipsamque etiam vitam non dubitabant postponere: Quibus jure merito Sancta me-moria dignum Ferdinandum II. multoties Regem ac Impera-torem addidero, auditum aliquando dicere; malle se Regnis ac ditionibus omnibus exui, arreptoque Scipione cum conju-ge ac liberis stipem vicatim corrogare, quam finere, ut præ-dominante hæresi, suorumque malitiâ subditorum, honori DEI ejusque Ecclesiæ derogetur. Sie nimirum astris Duci-bus irur ad astra.

V. Cum longinquum aliquod nobisque ignotum iter arri-pimus, commune est, ut ducem viæ cum primis peritum, & gnarum assūmamus, quo indice seculo rectoque calle citra ambages, errores atque discrimina ad terminum nostrum per-veniamus: & quis melior, quis peritior ad cœlum Dux, quam astra, quæ viam illam toties eunt redēuntque juxta illud Ma-ronis.

ronis de Castore & Polluce, Itq; reditq; viam toties? Aeneæ Virg. l. 6.
 in Italiam ex incendio Trojano proficiscenti Helenus Sacer. Aeneidos,
 dos, dum pro ejus viæ prospéro successu Sacra Diis ficeret, ita
 vaticinatus est: *Fata viam invenient.* Quam longè melius Aeneidos
 veriusq; vaticinari mihi licebit cuilibet animæ Christum quæ-
 renti; *Astra viam invenient.* Astra ejusmodi verè fortuna-
 ta Virtutes sunt, quarum tantus est splendor, ut quidquid
 Splendorum præterea in rebus humanis esse putatur, umbræ
 meræ & fatuæ quædam luculæ sint; rectissimè siquidem pro-
 nunciavit ille: *Divitiarum & formæ gloria fluxæ atque fra-*
gilis est; Virtus clara æternaque habetur. Quasi dixisset, di- Salust. in
 vitiæ, formæ venustas, honores, & id genus mundi bona ap- Catilia.
 parent equidem ea considerantibus stellarum ad instar, rutilat
 aurum, coruscant gemmæ, radiant pretiosæ vestes, fulgent
 honorum tituli, micat avidum genustanquam sidera, sed sidea-
 ra planè fatalia & siderantia, fumosa & amara; qualis erat quam
 vidit Joannes Apoc. g. è sublimi aëre in aquas cadentem, cui
 ob amarorem, quo aquas illas infecit, antonomastix no-
 men inditum *Absynthium*, qualis erat, quæ nascente Edvardo
 IV. Rege Angliae miræ magnitudinis per aliquot dies ante so-
 lis ortum conspiciebatur, & per longum Cœli tractum veloci-
 crebróque cursu ferebatur, modò ignem præ se ferens, modò
 fumum post se relinquens, quo sane ostento futura Edvardi
 exiguitas vanitásque velut ex oraculo quodam prænunciata
 dicitur: quales sunt hinc inde apparentes stellæ & cometæ,
 bella, mortes Principum, pestilentiam, & id genus mala por-
 tendentes, quas Medici *siderationes* appellant. Et quid enim
 vero sunt honores omnisque mundi gloria, nisi levis fumus,
 & vapor ad modicum parens? quid in opibus & divitiis aliud Jac. 4.
 experiare, quam amaritudinem merumque absynthium, an-
 gores nimirum, sollicitudines & insomnia, juxta illud sapien-
 tis: *Saturitas divitis non finit eum dormire?* Quid formæ & Eccle. 5.
 pulchritudini corporis metuendum magis, quam contagio,

Ep. Jud.

Petrus Sanct.
in Symbol.

Heb. 11.

Iues, & multiplex eclipsis e tales stellas qui sestantur, nec illi non tantum viam ad Cœlum non invenient, sed toto Cœlo Ducibus hujusmodi aberrabunt, utpote qui sunt astra erratica, seu, ut Sanctus Judas loquitur, *Sidera errantia*, vel, ut Syrus vertit stellæ seductrices, quales Astronomi vocant planetas, cometas, & exhalationes, quæ accensæ instar stellarum è Cœlo cadere videntur, eò quod cursu vario vagoque oberrant, & nunquam eodem loco oriantur & occidunt, & modò tardius, modò celerius rotentur: at verò virtutes stellæ sunt fixæ, & in suo cursu tramiteque constantes, ut idcirco à Theologis dicantur in medio sitæ, quod à tropico suo ac linea rectæ rationis sive per excessum, sive per defectum, nè puncto aberrent; & sicut stellæ fixæ eclipsim non patiuntur, ità neque virtus ullâ ratione obscurari potest, quin vel inter ipsas eclipses illustrius clarescit. Ludovicus XII. Illustrissimus Galliarum Rex pro Symbolo suo pingi fecit coeleste signum Craterem cum inscriptione: INTER ECLIPSES ORIOR: ut enim hoc Sidus decimo quinto Calendas Maij oritur inter majorum Siderum defectiones; ità ipse Regnum adierat, mortuo absque liberis Carolo VIII. Eadem viri justi in tribulacione & in ipsa morte vox est. Nitebatur Hussium Principem virtute magis quam opibus clarum onanimodis obscurare nigerrimus cacodæmon: circumvallarat eum tetricis & tempestuosis nubibus, defectionibus & jaeturis fortunarum, liborum mortibus, ulceribus pessimis, & usque in sterquilinium dejecit; at ille dum maximè obscuratus videri poterat, poterat tantò magis gloriari: *Inter eclipses orior.* Quis non penitus eclipsatum dixisset Tobiam, dum lumine oculorum privatus, in caliginem totus quodammodo abierat? sed & ipse vel in hac caligine poterat similiter dicere: *Inter eclipses orior, obscuros & obscuratos Christi Martyres & Confessores censemant insani illi, qui, quod viderent eos circumveientes. In melotia, pellibus caprinis, & ciliciis, egentes, angustiatos, afflitos,*

eos, distendit, secari, lapidari, occidi, existimabant exitum
 & finem eorum sine honore, & inglorium; at ecce vivimus;
 gloriantur ipsimet Sancti, & inter eclypes ac funera velut stel-
 lae fulgentissimæ exorimur; Ità dicere poterat S. Franciscus
 Seraphicus pauper & humilis, qui longos & horrendos inter
 morbi dolores, ossa arida, humili collidens, ac moriens, post illa
 Psalmi prolatæ verba: *Me expectant Justi, &c.* Sanctissimam ^{Psal. 14.}
 emisit animam, quæ sub specie stellæ præfulgidæ super nubem
 & aquas cœlo invecta est. Ità dicere poterat S. Dominicus,
 qui nobili cuidam matronæ post mortem in visu apparuit lu-
 culentam stellam in fronte gerens, cuius immodico splendore
 totus orbis irradiaabatur. Ità dicere poterat, ejusdem filius S.
 Thomas de Aquino, in cuius morte visa est viro cuidam reli-
 gioso stella incumbens cœnobio, quæ eō animam exhalante
 in cœlum ascendebat. Ità dicere poterat S. Ignatius Loyola,
 qui eādem, quā Romæ expiravit horā, ab Angelis in cœlum
 visus est inferri, in cuius tumulo stellæ conspectæ & inter odo-
 res auditæ concentus Angelici. Ità dicere poterant S. Marty-
 res, Tharacus, Probus, & Andronicus post varia tormenta de-
 collati, bestiis projecti & ab eis intraicti, quorum corpora stel-
 larum indicio sunt ostensa. Ità dicere poterat S. Catharina
 Sueca, quæ cùm astantibus sororibus feliciter in Domino ob-
 dormisset, religiosi quidā super domū, ubi corpus ejus examine
 jacebat, per dies & noctes stellam consistere, donec sepulturæ
 traderetur, viderunt. Corpore autem ad monumentum allâ-
 to stella pariter suò visa est loco moveri tanquam obsequium
 funeri præstitura; inter missarum autem solennia corpore
 in templo deposito, stella mansit pendula supra feretrum de-
 nique corpore humano evanuit.

Ferd Ca.
stigl.in hist.
præd.

Sur. 22.
Mar.

VI. *Qui viceris* (ait Christus apud aquilinum Joannem)
 dabo illi, in præmium, stellam matutinam, id est luciferum. ^{Apoc. 2.}
 Quis hanc promissionem in Sanctis modò memoratis imple-
 tam non videat? vicerunt illi per fidem Regna, magnū certamen ^{Heb. 10.}

Q. 3

susti-

sustinuerunt passionum, & ideo data est illis stellæ, seu lucifer, qui nescit occasum, ut sit insigne veræ ipsorum nobilitatis, signumque perpetuum æternæ beatæque immortalitatis. Cœca gentilitas has, quas videmus firmamenti stellas æternas, imo Deos ipsos credebat. Sic Ceii ab Aristæo Arcade edocti singulis annis Caniculæ exortum servabant cum armis, eidemque rem divinam faciebant ad impetrandam pluviam; sic in foro Pliasiorum Capra ex ære magnâ sui parte inaurata conspiciebatur, ob eam causam dedicata, quod sidus, quam Capram vocant, ortu suo vitibus perniciem afferre consuevit: nè itaque cœlestis capra vinetis noceret, forensem illam ex ære cum aliis afficerent honoribus, tum verò auro eam exornabant. Romani item Græcique, quibus immortales honores post mortem decernebant, & pro Diis coli volebant, in astra relatos & in stellas mutatos asserebant, uti Jovem, Saturnum, Mercurium, Martem, Herculem, Perseum, Cepheum, Erichthonium, Castorem & Polucem, &c. verū astra hujusmodi quantumvis, ex sententia Philosophorū, naturâ suâ incorruptibilia, interitum aliquando sortitura divinæ veritatis docent oracula. *Stella cedent de cælo* (Matth. 24.) *cælum & terra transibunt*, (ibid.) &c. unde S. Petrus: *Novos, ait, cælos expectamus*. Si novos cælos; & novas stellas. Quænam hæ novæ stellæ? SS. videlicet & Justi, de quibus Paulus: *Sicut stella à stella differt in claritate, sic erit resurrectio mortuorum*; Justorum videlicet ac beatorum, qui pro virtutis, quâ in hoc mundo claruerunt, proportione ac mensura, aliis alio plures vel pauciores luminis gloriae gradus in cælo obtinebunt, ita ut alii fiant stellæ primæ magnitudinis, alii secundæ, alii tertiaræ, alii quartæ, alii quintæ, alii demum sextæ magnitudinis, nam ultiior inter stellas descensus non datur juxta Astronomos.

VII. Quicunque ergo culmen veri honoris quæratis, ad culmen summæ perfectissimæque virtutis ascendite; ag vos præ-

Cœl. l. 17.
c. 27.

Pausan. in
Corinth.

Matth. 24.

2. Petr. 3.

1. Cor. 15.

præsertim Mundi Principes Vir'que nobilitate conspicui, ad virtutem non tam facti; quam nati; qui sicuti hic serenissimi, illustrissimi, ac perillustres, auditis, nequaquam patiamini illic simpliciter audire, sereniac illustres, infimo gloriae gradu contenti. Oculos in altum tollite, & videbitis quanta vos maximarum stellarum agmina, volo dicere Sanctorum herorum exempla antecedant, tacite quodammodo vobis loquentia, id quod stella S. Joanni Silentario cum cruce apparenſ locuta est: *Si vis salvus esse, sequere hanc stellam, & vos,* In vit. 13.
quos sequamini magis, quam vobis nobilitate pares? Siquidem teste Tiraquelle, sola virtus est, quæ nobilitat, & nobiles maximè decet. Hinc observavit nonnemo infinitam DEI providentiam ferme omnibus approbatis religiosis ordinibus è summo stemmate in utroque sexu fundatores personásque nobiles providisse tribus potissimum de causis 1. pro honore & splendore ordinum, 2. ad ostendendam suam misericordiam, quâ camelum per foramen acūs ingredi cœlum permittit, & à vinculis voluptatum ac divitiarum animas solvit; Plus enim, inquit S. Augustinus, hostis vincitur in eo, quem plus tenet, & de quo plures tenet; plus autem superbos tenet nomine nobilitatis, & de his plures nomine autoritatis. 3. ut promissum divinum adimpleatur Job. 36. Potentes Deus non ab- Job. 36.
jicit, cùm sit ipse potens. Et S. Bernardus: Legeram, inquit, Bernard.
non multos nobiles, non multos potentes, non multos sapientes elegit Deus: at nunc præter regulam mira Dei potentia talium convertitur multitudo, vilescit gloria præsens, juventutis flos conculcatur, non reputatur generositas, sapientia mundi fulritia judicatur, non acquiescit carnis & sanguini, parentum & charorum renuntiatur affectibus, favores & honores, & dignitates reputantur ut stercore, ut Christus lucri fiat. D. item Hieronymus: Nostris, ait, temporibus Roma possidet, Hieron. in
quod mundus ante nescivit, tunc rari sapientes, potentes, no- epist. 26.
biles Christiani: nunc multi Monachi, sapientes, potentes, no- biles..

Tiraquel,
Georg. Rie-
del draco-
nicid p. 614.

August. l. 8.
confess. c. 4.

biles. Ipse met observavi in Breviario Romano, ubi trecentorum sedecim Sanctorum nomine sit commemorationis, plures quam centum illustris ac nobili genere secundum carnem natos enumerari, & quantillus hic numerus est in comparatione reliquorum Sanctorum nobilium, quorum vita extant!

VIII. Vetus diverbum est: *Verba movent, exempla trahunt*, & vel maximè ea, quæ sunt inter personas æquales parésque: sicut enim quod nonnemo cecinit, *Personas inter similes est nexus amoris*, sic non minus imitationis Reges Regum, Principes Principum, Nobiles Nobilium, cives civium, religiosi religiosorum, adolescentes adolescentium exempla facilius ac procliviùs imitantur, quam alienorum. Ità Magnus ille Antonius eremitarum Pater quemcunque videret à suis Monachis aliqua virtutis laude excellentem, illum imitari studebat. Ità Constantius Magnus Constantii Patris religionem secutus est.

Gerson.

Sigan. I. 14.
in occid.

Theodoricus Theodemiri Ostrogothorum Regis filius Patris fortitudinem: Caius Julius Cæsar Alexandri Magni magnanimitatem. P. Scipio Africanus Cyri Xenophontis heroica facta; Themistocles Alcibiadis trophæa pro exemplari habebant. Habetis ô Imperatores ac legitimus exempla SS. Imperatorum Caroli & Henrici qualiter Christianæ religionis Romanæque Ecclesiæ amplificandæ & propagandæ studiosi extiterint, quanta bella adversus infideles suscepérint, quam Romanorum Pontificum sedisque Apostolicæ observantes fuerint. Habetis ô Reges exempla SS. Regum Stephani, Ludovici, Canuti, Osvaldi & aliorum plurium, qualiter varia per diversas orbis partes construxerint Sacra domicilia, quanta eximiæ pietatis & cultus divini palam ediderint argumenta, quantâ in pauperes, subditos, Orphanos, viduas fuerint misericordiâ clementiâque; inspicite & facite secundum exemplar eorum, quod vobis monstratur & stellæ instar prælucet. Habetis ô Nobiles adolescentes & legitimus exempla parium vobis adolescentum S. Thomæ Aquinatis, S. Bernardini

dini Senensis, S. Placidi, S. Andreæ, Corsini, B. Aloysii Gonzaga, B. Stanislai Kostka, &c. qualiter abdicato seculi fastu, spretis & contemptis amplissimis hæreditatibus, honoribus, lautissimis deliciis, relictis charissimis parentibus, amicis & propinquis in claustra se se religiosa abdiderint, & alias Prædicatorū, alias D. Francisci, alias D. Benedicti, alias Carmelitarum, alii Societ: Jesu institutū sint atplexi: inspicite, & si quidem à Deo ad idē vitæ institutum vocamini facite secundūm exemplar, & nolite cogitare per hujusmodi vitę secularis cùprimis opulentæ, conspicuæ & illustris cum religiosa, humili, aspera, ac rigida commutationem natales vestros obscuratum iri, quin potius quod superius diximus, multò magis illustrandos, & tanquam lucidissimis stellis exornandos: Quid enim sunt SS. exempla, quid divinæ inspirationes, vocationes, exhortationes nisi stellæ teste

M. Gregorio: *Vocat nos*, ait ille, *vocat Deus per se*, *vocat per Greg. hom.*
Angelos, *vocat per Patres*, & *majores*, *vocat per pastores*, *vocat*
plerumque per flagella, &c. ubi celebris quidam interpres sub-
dit: *Vides quot stellis ad Christum vocemur!* cùm itaque “
stella apparuerit, nè cuncteris, sed protinus vocatus ad vo-“
“cantem festina, nè Judæis & Herodi similis sis, qui stellam “
Magosque sequi noluerunt & in perfidia sua perierunt. *Am-*“
bulate dum lucem habetis, ut non vos tenebra comprehendant; *Joannis 12.*
monet æterna Sapientia, certè qui ad lucem ambulare recu-
*fant, his meritò Psalmista imprecatur: Fiat via illorum te- *Psalm. 34.**
nebre & lubricum, ut quò vadant, nesciant, & lubrica sit,
ut plerumque est, salus eorum.

•••• (o) ••••

R

Do

DOMINICALI. POST EPIPHANIAM.

Amissi filii quatenus parentibus lu-
gendi & requirendi.

*Fili quid fecisti nobis sic? ecce dolentes qua-
rebamus te.* Luc. 2.

Eccl. 3.
c. 7.
Prov. 19.
Cant. 3.

Lucis usurâ, quam à parentibus secundum Deum accipi-
mus, cùm nihil sit jucundius, nihil carius, nihil pretio-
sissimus; nil etiam mirum videri debet, quòd tam divina
quam humana jura tantam iisdem parentibus observantiam
obedientiamque à filiis exhibendam usque ad eò inculcent ac
præcipiant, quasi Dii aliqui illorum terrestres forent Eccli. 3.
ait Siracides: *Qui timet Dominum, honorat parentes, & quasi
Dominis serviet his, qui se genuerunt.* Idem c. 7. honora pa-
trem tuum, & gemitus matris tuae nè obliviscaris: memento,
quoniam, nisi per illos, natus non fuisses. Prov. 19. *Qui affigit
patrem & matrem, ignominiosus erit & infelix;* quòd nempe
talis se se naturæ hostem, omnisque honestatis inimicum pa-
lā ostendat, subdit Author Catenæ Græcæ. Nihil enim ini-
quius, quam eos, à quibus natus es & omne bonum accepisti,
affligere. At nónne dilectissimus & unicus Parentum suorum
filius Jesus duodennis satis supérque Matrem charissimam
Patrēisque putatitum in hodierno Evangelio affixisse legi-
tur, cùm triduo toto se ab eis separavit, & illis insciis remansit
in Jerusalem? Nónne tanquam Deus probè neverat, dolore
maximo ob suam absentiam illos affici, lacrymabundis o-
culis in ipsum ubique inquirere, ire & redire, circumambu-
lare vicos & plateas, rogare jam hunc jam illum: *Num
quem diligit anima nostra vidisti?* dicite, quæso, nobis,
ubi moretur, ubi pascat, ubi cubet aut quiescat. Nónne in-
quam

quam omnia hæc probè noverat ? cur igitur sciens & volens eos ità afflxit ? insuper etiam postquam repertus est duriuscule, ad speciem quodammodo excepit , dum conquerentibus : *Fili quid fecisti nobis sic ? ecce Pater tuus & ego dolentes qua- rebamus te,* respondit : *Quid tandem est quod me quærebas?* Quasi diceret quod postmodum dixit in nuptiis Canæ Galilææ : *Quid mihi & vobis est ?* blasphemus & sacrilegus Calvinus non horret pro sua impudentia assérere, Christum Dominum verè ac propriè in quartum præceptum hic peccâsse : sed absit nos vel per umbram tale quid cogitare de eo , qui peccatum non fecit , nec inventus est in spiritu ejus ac ore dolus quóque nemo parentum suorum observantior fuit , magis credamus S. Bernardo super illa Christi responsa & dicta : *Quid est , quod me quærebas?* *Quid mihi & tibi mulier ?* ità differenti : *Ut quid fratres sic respondet Christus ; utique propter nos : ut conversos ad eum jam non solicite carnalium cura parentum , & necessitudines illa non impedian exercitium spirituale , quæ præsentis mihi dictiois materia erit , in qua docebo quæ filiorum amissio parentibus pro vera jactura , quæ item pro lucro sit habenda.*

Joan. 4.

Bernard.
serm. 28.
in Cant.

§. I.

Filiis orbari summus parentum dolor.

Vetus & verissima parcemus est : *Sine dolore non amittitur , quod cum amore possideatur.* Quàm cara sit filiorum possessio , Natura vel in ipsis brutis animantibus docuit , quæ tantâ curâ ac sollicitudine suas proles nutriunt , lactant , paescunt , fovent ac servant , ut sui quodammodo oblitæ totas emacient ac enervent se se : quòd si catuli aut pulli unde unde abripiantur , quanta non lamenta & quæstus , quantos non ululatus , mugitus ac rugitus , gemitus & planctus edunt adeò , ut interdum præ mœrore tabescant , Aldrovandus ciconiæ meminit , quæ exorto in domo , in qua nidum cum pullis habe-

Aldrov.lib.
de Ornitho.

bat, incendio, cùm jam flamma ipsum quoq; nidum corriperet, aquam rostrō apportans flammarum extinguere & scalarum percussu consopire tanto nisu conata sit, donec & ipsa cum nido ac pullis conflagraret, & hæc quidem faciunt brutaæ animaltes ex innato appetitu, quem habent ad speciei suæ conservationem: quanto sed magis homines liberis conservandis studeant, qui, non in specie tantum humana, sed in proprio individuo unicè appetunt perennare; & cum sint mortales, filios post se relinquere satagunt, in quibus ceu aliqua sui portione etiam post fata vivere censemantur. Ità Siracides de filio

Ecli. 30. patri suo superstite: *Mortuus est pater eus & quasi non est*

Arist. 1. 8. *mortuus; similem eum reliquit sibi post se.* Hinc, ait Aristoteles,

Ethic. c. 12. *aque parentibus vita liberorum chara est, atque sua;* imò magistete Placato, aliisque Ethicis, ipsaque experientia:

Pacat. in *Instituente: (verba sunt Pacati) naturā plus verē filios, quam nos met ipsos diligimus.* Nota est historia patris, qui cum filio ob crimen morti adjudicatus, dum Princeps sententiam molliret, unūque tantum plecti juberet, ac daret eis optionem eligendi, vel sortem jaciendi, uter plectendus foret, inter utrumque mira fuit contentio, dum filius pro patre, pater pro filio mori percuperet. Sed vicit tandem pater dictitans se, licet plecteretur, in filio tamen fore superstitem; at, si filius plecteretur, nullam sui utope senis, breveque morituri, nec filii fore propaginem & memoriam. Nulla proinde acerbior plaga, nulla gravior iactura parentibus, quam filiis orbari: se viat in corpus hostis, in fortunas inimica sors, opes alieni diripiunt, ferrum & ignis omnem substantiam devoret; unus reliquus ē collo pendens Ascanius pro omnibus bonis & fortunis est,

Virgil.

Encid. 2.

Origen. in

Job.

Omnis in Asanio cari stat cura parentis.

Patuit cum primis in Jobo, qui multos sanè lethales fortunæ iactus immotus acceperat, ceu homo aliquis adamantinus, uti cum appellavit Origines; ubi tamen de ruina & morte filiorum

rum

rum nuncium accepisset, quasi jam loco & pedibus predolore
 consistere non valeret: Surrexit, inquit sacer textus, & scidit Job. I.
 vestimenta sua, & tonso capite corruens in terram adoravit.
 In quem locum D. Basil. ita commentatur: *Justus quasi scopulus* Basil. in ca-
tem. Græc. hoc loco,
constiebat, ac vim tempestatis excipiens fluctuum vio-
lentam incursionem redigebat in spumam; nihilque eorum, qua
contigerunt, dignum lacrymis exstimatorum. Postquam vero mun-
tius venit, qui diceret, in convivantes filios & filias violento
flatu convivii domicilium corruiisse; tunc communis sensu na-
natura patefacto, vestem concidit, ut eare propensa voluntatis
sua erga liberos significationem daret. Nec minorem luctus
ac doloris dedit significationem Sanctissimus item Rex David,
posteaquam intellexit Absalom filium suum, quamvis volun-
tate parricidam, & vitæ paternæ solioque regio insidiante, m-
à Joabo Principe militiæ tribus lanceis percussum & confos-
sum: Contristatus, inquit sacer textus, ascendit cœnaculum ^{2. Reg. 18.}
porta & flevit, & sic loquebatur vadens, & sine arbitris per cœ-
naculum inambulans: Fili mi Absalom, Absalom fili mi, quis mi-
hi tribuat ut ego moriar pro te Absalom fili mi, fili mi Absalom?
quorsum tanta lamenta in tanto Rege, nonne plures alios su-
perstites & meliores habebat filios? ista est, diceret ille, lex ^{2. Reg. 7.}
Adam, nempe (interpreti Lyrano) ut quilibet sit solitus de Lyran,
posteritate sua, & de amissis filiis doleat, sic & antiqui sapien-
tes ac Philosophi, qui de fortitudine animi multa scripserunt
& differuerunt, in filiorum tamen suorum funeribus à lacry-
mis temperare non poterant. Pericles cum alijs animo sem-
per infracto fuisset, amissio Paralo filio, magnitudine doloris Plutarch. in vir.
victus oculos in fletum uberen resolvit & ejulatus indesinen-
tes & inconditos dedit. Solon quoque cum ad explorandam Idem.
eius constantiam Thales peregrinum quempiam submisisset,
qui simulatè nunciaret, se Athenis funeri filii eius interfuisse,
cœpit caput cædere, aliisque & facere & dicere, quæ gravi mæ-
rore oppressi solent. Herodes idem Atticus, vir Consularis,

Gell. l. 9.
noct. c. 12. reprehensus à Topico, quòd parum viriliter mortem filii ferret, respondit: *Affectus hi nobis à natura sunt dati.*

§. II.

*Factura spiritualis filiorum præ corporali
parentibus deflenda.*

Eccli. 30.

Verum enim verò utcunque tolerabilis & parcè omnino; immo nullo modo parentibus deflenda est jaætura hæc corporalis filiorum, præ spirituali illa, quam iidem filii sibimet ipsis propriæque licentiaæ relicti incurront, dum ceu effrænes equi quoquo libet evagantur. Eccli. c. 30. inquit Sapiens: *Equus indomitus evadit durus, & filius remissus (græcè ἀνεψιος) id est, sibi relictus, & carens fræno disciplinæ) evadit præceps, præceps nimirum in omne genus vitiorum, & (utì eum describit Lovaniensis interpres) procax, effrænatus, citus, præproperus, temerarius, effusus, protervus, projectus, petulans, insolens, audax, impudens, contumax, improbus, intractabilis, fævus, quæ omnia miserum juvenem in certissimam ruinam præcipitant & perdunt.* Pulchro id hieroglyphico ex aliis illustrat citatus Interpres: Pingitur, inquit, adolescens equo indomito insidens, à quo in omnes partes, huc & illuc, per avia & devia raptatur & jaætatur, huic occurrat nonnemo quærens ex eo; quoniam tam præceps abeat; respondet eques equum demonstrans: *Quò isti lubet.* Talis adolescens effrænatorum omnium antesignanus fuit famosus ille adolescentior optimi patris filius in parabola evangelica luculentè descriptus, qui acceptâ substantiâ paternâ & consensô licentiaæ juvenilis effræni equo, quò huic licebat abiit ac discessit, discessit à Deo, discessit à Patre, discessit à se ipso; abiit in regionem longinquam, in regionem peccati, in locum perditionis, ubi omnino periret & mortuus est, vivendo luxuriosè, uti parabola testatur, dicens de eo: *Filius hic mortuus erat (quoad scilicet turpiter vivebat) & revixit; perierat, & inventus est, per penitentiam*

Luc. 15.

tentiam & receptam patris gratiam. *Longè profectus est*, ait Beda, *non locum mutando, sed animum*. Verè enim animum mutavit, qui ex obediente filio factus est inobediens & dixit patri, *non serviam*; ex modesto immorigerus, ex verecundo pro-
cax & impudens, ex pudico lascivus, ex temperante gulosus,
verbō, ex amatore virtutis scelerum omnium sectator, Deique ac nominis paterni penitus oblitus. Quippe Augustino teste
Regio longinqua aliud nihil est, quām *oblivio Dei & sui*. O per-
dite adolescens, quantum non es oblitus tui, cūm te tam misera-
randæ, imò abominandæ servituti ultrò subjecisti, ut in aliena villa porcos immundissimum animal pasceres, qui in pala-
tio paternæ domūs, deliciis diffiduebas! nūc *stilicas ample-
xaris & prenas*, qui nutriebaris *in croceis!* nūc pannosus, &
lacer *quasi unus de scurris* incedis, qui velut filius principis ^{2. Reg. 6.}
purpurā & bysslo in duebare! ô quantum ad aspectum tuum
ingemiseret nobilis pater tuus! quoties non lacrymabundis
oculis ingeminaret: *Fili quid fecisti mihi sic?* cur excusso
suavi patriæ potestatis jugo tyrannicum induisti? cur non ha-
bitā ratione nobilis familiæ in turpem subulcorum sortem te
conjecisti, & sic natales tuos probro maximo affecisti? fili quid
fecisti nobis sic? heu me, quām *dolens sum de perduto*, & ni-
miūm tristis de interitu tuo! *Utinam nunquam fuisse pecu-* ^{Tob. 5.}
nia & portio substantiæ, quam divisi tibi! Similes parentum
opplorationes nimisquam frequentes hodie audire est, quot
enim non passim reperiuntur prodigi hujuscēmodi filii, qui
devoratā paternā substancialē, desperatis demum rebus ea per-
petrant, quæ & lingua enarrare, & calamus horret scribere.
Fuit in Germania juvenis equestris satus prosapiā, cui post con-
sumptam substancialē, cūm parentes adulterius compton-
dum & græcandum pecuniam negarent, ut eis gravissimam
inureret notam, carnifici operari suam addixit, quem ante an-
nos viginti aliquot fornicis vacuandis occupatum Pragæ ipse
spectavi. Nōnne iste verè & ad literam ex numero illorum
fuit,

Beda in
Luc. h. I.

Jerem. 2.

August. I. 2.
qq. Evan.
q. 33.

Thren. 4.

Drexel.

fuit, quos deplorat Propheta Jeremias: *Qui nutriebantur in croceis, id est cibis delicatis & voluptuosis vescebantur, amplexati sunt stercora.* Horribilis quid refert P. Hieremias Drexelius Societatis Iesu, celeberrimus in Bavaria Ecclesiastes: in celeberrima civitate Lubecensi matrona erat venerabilis, & consulis uxor, quæ uno partu tres filios ediderat, quorum omnes funesto exitu, sed tertius omnium funestissimo interiere, erat hic tertius juvenis elegans formâ, ingenio acer, veste nitidus, nec incultus moribus, sed, quô foedavit omnia, libidinosus. Unde post variam incontinentiam, incurrit tandem in unam, quæ formâ vincere credebatur omnem Lubecensium foeminarum pulchritudinem. Hæc miserum inverecundi amoris vinculo implicatum in sua castra itâ perduxit, ut eum nec nummorum dispendium, nec Deitumor, nec terror Jehennæ, nec publica honestas, nec amicorum correptio à turpi consuetudine potuerit abducere. Qua ex re factum, ut crumenâ omni exhaustâ planè velut alter filius prodigus etiam necessariis inciperet egere. Quod ubi mater advertit, filium nempe indignam natalibus pauperiem incurrisse, materno affectu mota bis terque, iterum atque iterum æs grande filio donavit, simûlque monuit illacrymans, memor esset Dei, generis item & honoris, probrosam consuetudinem renunciaret; sed Surdo cecinit, tandem cum videret, quid quid largiretur, in filii perniciem abire, animum obduravit, & clausit manus. Juvenis animum & vultum matris mutatum observans, egestate & libidine consultricibus pessimis usus, stricto ense in matrem irruit non semel, & (*horresco referens!*) calcibus etiam protrivit, severè minatus jam confodiendam, nî ocyus promptâ pecunia duræ necessitatì succurreret. Miserima mater sub filii, velut sub hostis gladio contremuit, & territa tam præsentipericulo, quidquid exigebatur, donavit. Neque ausa est sui parricidæ crudelitatem ad magistratum deferre, verita nè forte is filium tantæ improbitatis reum, ad supplicium

plicium condemnaret. Tacuit ergo & quantō potuit silentiō rem pressit. Brevi tamen, nescio, unde, res prodita per omnium aurem spargebatur. Quocirca convenerunt cognati, & consiliis agitatis juveni sub poena capitis interdixerunt, nē simile quid in matrem porrò tentaret. At ipse magis effrons ad Manlianum hoc edictū, statim maternis ædibus excedere, & unā matris oculos exire institit, atque in prostibulo habitare cœpit. Hic post sericas vestes consumptas, post dissimulatam diu famem, post marsupia omnia exhausta, æger animi & dolore vix consolabili tabescens, partim æstuare, partim desperare, & inferendæ sibi necis consilium coquere. Verū nē quis tam fūnestæ tragœdiæ epilogum impediret, mulierculam, quam ad illud temporis deperibat, cum fictis negotiis aliò amandavit, eâ domo egressâ, ille jam solus & absque arbitris è culina cultrum rapit, & secedit in hortum, ubi vagum lumen in omne latus circumferens, & se solum deprehendens, diffibulato raptim thorace pectus nudavit, & cultri manubrium infixit parieti ligneo, tantōque se se impetu in adversum mucronem impulit, ut osseâ crête pectoris transfossâ dorsi quoque spinam violaret; hoc vulnere saucius in terram corruit, visoque sanguinis effluvio særioribus furiis agitabatur, quod invisum spiritum tam acerbis impulsibus exturbare non posset. Quare hærentem etiamnum in pectore cultrum in orbem ita rotavit, donec laceratis vitalibus scelestem animam non tam emiserit quam ejecerit. Mox fama per urbem & ad matrem evolat, quæ velut leæna raptis catulis confestim instar rabidae facta est: e defectione subinde recreata lamentis & fœmineo ululatu filium deplorare ac ingeminare: O fili, quid fecisti mihi sic? pereat dies, in qua natus es, & hora in qua conceptus es? Beati, & longè beatiores ventres, qui non gennaverunt, & ubera quæ non lactaverunt, præ me infelicissima quæ te genui & lactavi, ut fieres pabulum inferni, qui aperuit super te os suum & de-glutivit te; bonum erat tibi si natus non fuisses! Tum ad pel-

licem: ô mulier, quid fecisti? meum mihi sanguinem tu seduxisti; horum omnium causa tu es pessima. Sepultò cadavere, quod nūltâ pecuniâ, à flammis redemerant cognati, nocte unicâ tumuli terra itâ subsidit, ut nonnemo conjiceret, caco-demonem, qui animam rapuerat, etiam corpus abstulisse. Similia plura, imo funestiora perditorum filiorum exempla allegare possem, nî prolixitate dictionis auribus molestus accide-re pertinerem. Illud Siracidæ monitum parentibus hic in men-

Eccli. 16.

Syrus.

Cornel. à
Lap.Menand. in
epit.

tem revoco: Nè jucunderis, ô pater, ô mater, in filiis impiis; nec oblecteris super ipso, si non est timor Dei illis. Syrus vertit: Nè desideres multitudinem filiorum peccantium, & nè latenteris in omnibus filiis mendacii: etiamsi multiplicati fuerint, nè latenteris in eis, quia non sunt in timore Dei. Qui enim tales generat (inquit nonnemo) eos non Deo sed diabolo; non virtuti, sed sceleri, non cœlo, sed inferno generat: facit enim eos folles & fomenta Gehennæ. Unde rectè Menander pronun-

tiavit: Aut oportet vivere solum ac cœlibem, aut natis jam liberi, reprobis, mori parentem; adeò omnis deinceps vita acerba est.

§. III.

Quomodo perditi filii à Parentibus re-
quiriendi?

Luc. 15.

Sed jam de modo perditos filios requirendi breviter differa-
mus: Luc. 15. duplex parabola viri ac mulieris proponitur, quorum ille ex centrum ovibus unam, hæc ex decem drachmis itidem unam perdidérant. Quanta non utriusque cura, sollicitudo, & labor perdata inveniendi & recuperandi! prior nonaginta novem ovibus in deserti pascuis derelictis (utpote de quibus, quò minus aberrarent, securus erat) desertum omne longè latèq; perambulat, per tespua & lustra, per densa arborum anhelus se se penetrat, requiem non capiens, donec rotus jam lassus & fatiscens in palabundam errantemque

ovi-

oviculam incidat, eaque repertâ latus in humeros tollit præ gaudio pondus & itineris asperitatem non sentiens, quam simulac domum suam & in ovile importavit, Convocat amicos & vicinos dicens illis: congratulamini mihi, quia inveni ovem meam quæ perierat. Similiter & mulier amissâ drachmâ accedit lucernam, e verrit domum, omnésque angulos diligenter perscrutatur, & cum invenerit, convocat amicas & vicinas, dicens: Congratulamini mihi, quia inveni drachmam meam, quam perdideram. Tantum studium est vel unum perditum numum inquirendi! Non pauci sacrarum scripturarum Interpretes filios ac liberos parentum possessiones appellant, probantes id ex primogenito Adami Caino, qui sic nominatus est ab Hebræa radice καὶ Κάνα, quod possidere significat; Concepit Eva, & peperit Cain, dicens: Possedi ho-
minem per Deum. Quia vero primitus possessiones optimæ & maximæ reputabantur oves & armenta, in quibus pascendis ipsi viri Principes Patriarchæ occupabantur (*Moyses pascebatur Exod. 3: oves, &c.*) ideo parabolicè liberi ac filii ovibus comparabantur. Sic & Nathan Propheta Davidi in peccatum lapsò parabolam proponit divitis & pauperis, quorum ille habebat oves & boves plurimos valde: pauper autem nihil habebat omnino, prater ovem unam parvulam, quam emerat & nutrierat, & quæ creverat apud eum cum filiis ejus simul, de pane illius comedens, & de calice ejus bibens, & in sinu illius dormiens, eratque illi sicut filia; cum autem peregrinus quidam venisset ad divitem, partens ille sumere de ovibus & de bobus suis, ut exhiberet convivium peregrino illi, qui venerat ad se, tulit ovem viri paupe-
ris, &c. Peregrinum illum morali significatione Cardinalis Hugo Card.
Hugo vocat diabolum, qui in libro Job dicitur circuire & per-
ambulare terram quarens quem devoret & quod rapiat. Por-
tò divites qui peregrino huic & vago hospitium præbent, pec-
catores & mali, ut vocamus, socii sunt, qui lautissimum huic suo teterrimo hospiti convivium apparant, quoties unam ali-

quam innocentem oviculam, adolescentem aliquem probum ad suos pravos mores pertrahunt & seducunt. Quisquis ergo es Paterfamilias, cuius ovicula, cuius filius hunc in modum seductus & quasi raptus per avia & invia, per vias & plateas, per prata & compita laciviens & luxurians palabundus errat jam jam tartareo illi peregrino in escam atque epulas cessurus; ne moreris, sed confestim surge, circuito civitatem, exi in vias & sepes & errantem oviculam require. Sed quomodo requiras? non pedibus corporis, sed

*Tom. 2. p. 1.
Gregor.*

pedibus mentis; pedes enim animæ (quod alias ex Gregorio diximus) affectus sunt, quibus illa ad desideria varia transfertur, sicut corpus pedibus graditur, & Augustinus: *Anima, inquit, non pedibus sed affectibus movetur, movetur autem ad Deum maximè per orationem, quæ est optima quæstio & modus inveniendi apud Deum, quidquid queritur; unde Christus cùm ad orandum suos hortaretur, dixit:*

Luc. II.

*Chrysost. hom. 24.
in Matth.*

Quarite & invenietis; quod idem est (ut ipse explicat) quasi dixisset: Petite & dabitur vobis. Non obiter postulate, ait Chrysostomus, sed cum sedulitate multa, & magna patientia; hoc est enim quod ait: Quarit siquidem ille, qui querit aliquid, curvata alia mente projiciens; unum intendit illud quod solum requirit, ac præsentium rerum nihil omnino considerat, norunt illud, quotquot vel auro, vel servis (taceo filiis,) ut plerumque contingit, amissis experti sunt hanc quam dico diligentiam requirendi. Tali diligentia filium suum S. An-

4. Februar. in vit. dream Corsinum requirebant parentes ejus, qui adolescens pie & ingenuè educatus, cùm sensim ad vitia declinaret, sape à matre increpitus fuit; ubi autem cognovit se parentum precibus à Deo impetratum, & Beatæ Virginis devotum, similique de visu matris, quæ eum ex lupo in agnum conversum vidit, edocetus, sic verè conversus Carmelitarum institutum amplexus est. Sic requirebat drachmam suam vel potius gemmam pretiosissimam Augustinum SS. ejus mater

Mo-

Monica, quæ ejus dupliciter mater ab Ecclesia idcirco cognominatur, quod eum non mundo tantum, sed & cœlo genuerit: in assiduis enim ad Deum orationibus pro filio, qui in Manichæorum sectam inciderat, (Ecclesiæque Christi subtili suo ingenio adeo obsistere cœperat, ut fideles vulgo Deum deprecarentur: *Ab ingenio Augustini libera nos Domine*) lacrymas effundebat, donec eum ad suscipiendum baptismum inflexisset; unde eadem Ecclesia in Collecta misericordia ita hodie orat: *Deus merentium consolator, & in te sperantium salus, qui B. Monica piis lacrymas in conversione filii sui Augustini misericorditer suscepisti, &c.* Sic requirebat filium suum Carolum Birgitta, qui ut ei divinitus revelatum, in periculo æternæ damnationis erat, nisi preces matris intercessissent. S. Ignatius Societatis Iesu Fundator superioribus domorum, nec non professoribus ac magistris hanc legem posuit, ut omni studio enitantur, primâaque officii sui curam in eo positam esse intelligent, *ut oratione & sanctis desideriis illi domesticos, hi discipulos suos quasi humeris sustineant.* Eandem Legem sibi positam existiment parentes, ut nimirum frequentes ad Deum preces pro filiis suis effundant, votaq; & supplicationes offerant, exemplo piissimi Jobi, qui pro septem filiis suis tribusque filiabus, cum illi per dies singulos convivarentur, *per domos unusquisque in die suo mittebat ad eos & sanctificabat, id est Interprete Hugone, pro eis orabat & oblationes faciebat octavâ die, dicens: Nè forte peccaverint filii mei, & benedixerint (i.e. per antiphrasim maledixerint) Deo in cordibus suis; ferè enim semper (pergit citatus Hugo) epulas comitatur voluptas & loquacitas; ut dieit Gregorius: Corpus enim dum refectio ne resolvitur, homo ad inane gaudium relaxatur.* Vigilabat ergo & excubias agebat vigilantissimus Pastor super ovinulas suas, nè quam ex illis fera pessima Orci, quæ toti ejus Domui insidiabatur, raperet & perderet. Et tametsi subinde, permissu Dei, corporaliter ac temporaliter

Reg. 1. Recd.
Reg. pro-
fess. 10.

Job. I.

Hugo Card.

Gregor.

perdidit, ruinâ domûs omnes opprimendo; tamen temporalis hæc jactura & patri & liberis saluberrima extitit, nè tandem aliquando malitia mutaret intellectum eorum, & ut spiritus salvus fieret.

§. IV.

Quæ filiorum iactura bona & salutaris?

Gen. 12.

Hic jam coronidis loco ad eos parentes digredior, qui filios amisisse se putant, cùm illi insciis aut invitis parentibus è *domo & cognatione* paterna, velut Abraham de Ur Chaldæorum egressi, in terram longinquam, sed promissionis, hoc est in claustra & loca sacra, secedunt, institutum religiosum amplectentes: non amittunt sanè, sed felicissimè inveniunt. Sicut enim, uti docet coelestis Magister:

Matth. 10.

Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam; ità qui perdiderit filium aut filiam dimidium animæ suæ Dei causâ. Perdidistis ô parentes, hâc ratione filium vestrum, & ecce nobiliorem recipitis: perdidistis profanum, invenitis sacram: perdidistis animalem, invenitis spiritualem: perdidistis terrenum, invenitis coelestem: perdidistis hominem, invenitis Angelum. Quid enim est religiosus nisi Angelus in carne sínè carne vivens, nisi spiritus nihil de eis

2. Cor. 3.

quæ animalia sunt percipiens, cuius vita abscondita est cum Christo in Deo. Quid itaque doletis? quid opploratis? quid lamentamini & queritamini? heu heu fili! Quid fecisti nobis sic? ut quid spes nostras, quas in te summas habuimus, delusisti? quare nos orbos reliquisti, qui te tantis laboribus

Col. 3.

& solicitudinibus in spem erigendæ familie nostræ enutri-
vimus? ut quid recessisti longè, despexisti nos in opportunitate
adjutorii & infenestrute nostra? Omnia simul in te uno haben-
tes te non debuimus dimittere à nobis. At gaudere magis quam

Psalm. 10.

stere vos oportet exéplo Annæ Samuelis, quæ charissimum filium Deo commendans, & ut ipsa agit, commodans, retinet, non
amis-

Tob. 10.

amittit. Hinc est, quod in digressu à filio, quem in templo re-linquebat, minime lacrymata sit. Quid hoc portentio ô Anna? filium deseris seu potius in perpetuam servitutem vendis, & non lacrymaris? quem à Deo tam multis lacrymis emisti. Ità omnino, inquit, quia quem in templo defero, mecum defero: mihi non perit, qui Deo incipit vivere: non da-manicat, qui sc̄enori datur. Si enim fāneratur Domino, qui Prov. 19. miseretur pauperis, eleemosynam Deo veluti commodando; quanto magis, qui non portionem aliquam, sed totam substantiam suam, filium videlicet aut filiam eidem extra-dit, unde D. Bernardus parentes alloquens, ita eosdem sola-tur: *Si filium vestrum Deus facit suum, quid vos perditis? aut Bern. ep. 110.* ipse quid perdit? fit de divite ditor; de nobili generosior; cla-rrior de illustri; & quod his omnibus majus est, Sanctus de pec-catore. Sed vos non perditis eum, quin potius multos per eum acquiritis vobis filios: *quotquot sumus in Claravalle, ipsum in fratrem, vos in parentes recipimus.* Generosa illa matrona septem filiorum Machabaeorum mater, cūm siccis oculis supplicia Dei causa à filiis obita spectaret, singulos illorum 2. Mach. 7. hortabatur voce patria fortiter, repleta sapientiā: & fē-mi-ne a cogitationi masculinum inserens animum, dixit ad eos: ne-scio qualiter in utero meo apparuistis; neque enim ego spiritum & animam donavi vobis & vitam, &c. quasi dixisset, uti eam paraphrastice loquentem inducit D. Gregorius Nazi-anzenus: *Mater omnium matrum sacratissima effecta sum:* nihil mundo reliqui feci; omnia Deo tradidi, thesaurum meum, spes meas senectutis altrices. Quām magnificè honorata sum? Quām excellenter senectus mea curata atque tractata est! ha-beo educationis vestra præmia. 6 filii, quoniam omnes virtutis causā decertantes vidi, omnes victores aspexi: mihi verò, charissimi filii, nequaquam mortui, atque extinti; sed Deo oblati estis, nec lacerati, sed compacti, & coagmentati; non ferar vos abripuit, non fluctus obruit, non latro jugulavit, non hostis op-pressit,

Greg. Naz.
orat. 22. de
Machab.

pressit, non vis belli sustulit, non denique ullus humanus casus. Matronam hanc invictissimam imitetur quælibet mater Christiana, cuius filius religiosam vitam, martyrium voluntarium, professus est, dicatque: Quam gloria hodie mater effecta sum, cum facta sum regis mater, servire siquidem Deo regnare est: filium Deo commodavi, non perdidii; filium, id est thesaurum meum, spes meas senectutis altrices & baculum; habeo sanè educationis meæ condignum præmium, habeo solatum, non fera pessima devoravit filium meum, sed translatus est de deserto in paradisum & locum deliciarum; translatus est inter peccatores vivens, de periculis & occasionibus peccati in templum & domum virtutis, ubi homo cadit rarius, surgit velocius, irroratur uberior, pascitur deliciosius: congratulamini mihi omnes vicini mei, & congaudete mecum omnes vicinæ meæ, quia dilatatum est cor meum, & exaltatum est cornu meum. Potentia mea in Deo meo. Tu vero charissime filii qui fecisti mihi sic, qui tanti gaudii & lætitiae materia factus es, tene quod accepisti, tene propositum, institutum, datamque Deo Fidem: noli degenerare à præexcelsis cogitationibus filiorum Dei, sed digna semper tuo statu cogita & fac, & vale.

Bernard.

2. Reg. 2.

DOMINICA II. POST EPIPHANIAM Bonæ & malæ conscientiæ cum bona & mala uxore comparatio.

Nuptia facta sunt. Joan. 2.

Receptum apud universas gentes antiquitus est, solenniores contractus venditionis, emptionis, locacionis, &c. festivis epulis, symposiis, & compotationibus celebrari; sed nullum magis, quam contractum Matrimonii.

monii; hic omnium maximè festivus habetur, hunc nuptiale convivium mensæ frequentissimo convivâ longè latéque confertæ, omnis generis dapibus adornatae comitantur, saltus, choreæ, ludi, symphonia musica, & quidquid ad hilaritatem & magnificentiam facit, instruuntur. Alexander Magnus, cùm Susas ex India rediens Statyram Darii filiam in uxorem duceret, novem millia convivarum ad nuptiale epulum vocavit, quos singulos aureâ donavit phialâ. In Friderici III. Imperatoris nuptiis Neapoli celebratis mensæ patenti campo instruebantur, quibus supra triginta hominum millia accubuerant, fontesque è vario vini genere passim scaturiebant. Bonifacius Marchio & Dux Thusciae adducendam sponsam suam Beatricem proficiscens, equos soleis argenteis calceatos habuit, durantibus verò nuptiis pistrina publica ad molenda libero omnium usui aromata excitavit, & vinum vulgò omnibus bibere cupientibus profusè impertivit. Et ista quidem Principes & Magnates; ceteri verò, quorum fors inferior, & ipsi pro se quisque nuptias suas quo possunt apparatu exornant: nullusque adeo vilis opifex, quid dico opifex? nullus Corydon, aut Codrus facile reperietur, ad cuius Hymenæum non sonent fides, lyriplippia, tibiæ & fistulæ, non plaudatur pedibus choreæque in gyrum ducantur, non canthari & amphoræ crepent, non clamor & jubila audiantur; tantum ubique est de uxoreducta gaudium! at ô breve nimis gaudium, quod ferè cum ipsis finitur nuptiis & in longam definit miseriam! Bini enim duntaxat (si Hipponacti credendum) cum uxore jucundissimi sunt dies; alter quo ducitur, alter quo mortua effertur, & ut Stobæus loquitur: Quando maritus uxorem domum ducit, non solum, ut videtur, uxorem accipit; sed unâ cum ipsa quoque introducit aut bonum sibi dæmonem, aut contrarium. Proinde quanto delectu in uxoribus eligendis sit opus, alias docui; hodie tamen, his non obstantibus, uxorem omnibus

Salell. I. 6.
Enn. 4.

Sigon. I. 8.
Regn. Ital.
1037.

Hipponact.

Stob. serm.
69.

Allocut. do-
minic Do-
minic, 19.
Pent.

ducendam suadebo, quæ tantæ sit bonitatis, ut cum ea vivere sit continuas nuptias celebrare.

§. I.

Quæ sit illa Uxor?

Arigitis, ut video, aures, magnáque cum aviditate scire ejusmodi uxorem desideratis. Rebeccam vobis fortè aliquam imaginamini, quæ Isaaco sponso in tantum fuit dilecta, ut dolorem, qui ex morte matris ejus acciderat, temperaret. Sed majoris illi doloris postmodum occasio fuit, tum quod diu sterilis manerit, tum quod filios multis à D E O precibus impetratos capitali invicem odio ita quodammodo commiserit, ut alter alterum fugere debuerit. Num Rachelem decoram facie, & venusto aspectu? sed & hæc caro Jacobo sterit. Num Ruth Moabitæ mulierem, ut loquitur Scriptura, virtutis? sed numerosa non est. Num fortæ aliquam Judith? sed procul & de ultimis finibus pretium ejus. Num Abigailem prudentiâ præstantem? sed virum stultum habuit. Num Felicitatem fœcundissimam? sed fœcundiorem dabo. Num Helenam ditissimam? sed ditiorem suadebo. Num Pulcheriam laudissimam? sed laudatiorem monstrabo, & quid si illa intra vos ipsos inveniri posset? circumspicite tantisper, & inspicite cordis vestri intima, & videte an ibi non lateat; si enim conjuges una sunt caro, imò unum cor; ubi melius uxorem quis quæret, quam intra seipsum & intra cor suum? solent enim se conjuges mutuo appellare: *Meum cor.* necdum invenistis? *Obtenebratum est cor vestrum?* lucernas accende & scrutamini illud in lucernis, & tum in oculos incurrit puella juvencula habens in fronte scriptum Græcis literis **OIKEIAΣΥΝΕΣΙΣ** pectus apertum habens, & in dextra tenens limam ferream; hæc Latino vocabulo vocatur **CONSCIENTIA**, estque duplex, alia mala, alia bona. Mala tota

Gen. 24.

Gen. 29.

Ruth. 3.

Prov. 31.

tota est nigra vultu torva & fusca, neglectis capillis, taram exhalans ore mephitim, ulceribus, scabie & sanie plena, taboqué ac vermibus scatens; insuper est tota ex rixis & juriis composita, nam ut canit Satyricus:

Semper habet lites, alternaque jurgia lectus,

Juvenal.
Sat. 6.

In quo hac nupta jacet minimum dormitur in illo;

Dentes & linguam plusquam caninam habet, & nunquam maritum suum cessat vellicare, rodere & mordere, convitiis proscindere, secretissima quæque scelerā in faciem objicere, ita, ut ei sæpe insaniam inducat, eumque è domo propriæ mentis ejiciat ac exturbet juxta illud Salomonis: *tecta persistillantia in die frigoris & litigiosa mulier, ubi septuaginta leguntur, guttæ ejiciunt hominem in die hyemali de domo sua;* sic & mulier convitiatrix de propria domo. Quemadmodum ejiciebat notoria illa Xantippe Socratem suum, quem etiam non rarò pugnis cedebat, barbam ejus & capillos capitum vellebat, & convitiis bene lotum, insuper male c. 5. olente lotio non tam perluebat, quam folidabat. Atque hujuscemodi Xantipparum passim prope infinitus est numerus, quiritantibus maritis se cum eis domi suæ infernum habere, & propterea, ut ait D. Augustinus: *Gaudent domo abesse: Attende* (verba sunt S. Doctoris) *quomodo nolunt intrare in domos suas qui habent malas uxores; quomodo exeunt in forum & gaudent; cœpit hora esse, quâ intraturi sunt in domum suam, & contrastantur; intraturi sunt enim ad tedia, ad murmura, ad amaritudines, ad eversiones, quia non est domus composita, ubi inter virum & uxorem pax nulla est, & melius est illi foris circumire.* Tum ad malam peccatorum conscientiam hæc applicans, subdit: *Si ergo miseri sunt cum redunt parietes suos, timent nè aliquibus suorum perturbationibus evertantur; quantò sunt miseriiores, qui ad conscientiam, ceu malam uxorem, redire nolunt, nè ibi litibus peccatorum evertantur.* Bene inquit, litibus, quia ubi peccatum ibi lis;

Laer. I. 2.
c. 5.
August. in
Psal. 33.

Prov. 13.

ubi mala conscientia, ibi continua jurgia juxta illud Sapientis: *Inter superbos (a) ego inter peccatores eorumque conscientiam) semper jurgia sunt*, nunquam enim, ne ad momentum quidem temporis, cessat ejusmodi conscientia peccatorem canis instar allatrare, mordere ac remordere convitiando, & in faciem objiciendo; *Sceloste trifur, scis quid heri & nudius tertius hoc illo ve loco criminis patraris?* latere tua confilia, machinationes, fraudes, dolos, versutias, rapinas, adulteria, incestus, spurcitas & id genus scelerata existimas? ad furcam, ad rotam, ad rogum tecum: *imo mille furcas, mille rotas; millerogos commeruisti, indignus omnino cujus pondus terra sustineat.* Ita occinebat hæc Xantippe suo Judæ Sacrilego Christi proditori, donec eum ad desperationem, ad laqueum & patibulum adigeret: *Penitentia & conscientia facti ductus projectis argenteis in templo recessit, & abiens laqueo se suspendit, & suspensus crepuit medius; non ferens, ait Theophylactus, ignominias subsecuturas, & remorsus conscientia se ipsum è vita subduxit.* Maluisset etiani se subducere fratricida Cain, quam continuam ob admissum fratricidium conscientię lanienam pati, ideo dixit ad Deum: *Omnis qui invenerit me, occidet me; at Deus è contraria: Nequaquam ita fiet?* quasi diceret: tu quidem nullus meritus es mori; sed omnibus his mortibus gravior te sequetur poena, continuus nimirum tremor, timor, & fuga, qua accusatricem tui conscientiam de loco ad locum, de angulo ad angulum fugies, nec tamen effugere unquam poteris. Unde citatus Augustinus cum dixisset, inter omnes tribulationes animæ nullam esse maiorem tribulationem, quam sit conscientia delictorum, subiecit; alias tribulationes facilius evitari ac effugi posse, hanc minime. *Quid facturus est homo, pergit ille, quod confugiet, cum caperit pati tribulationes conscientie fugiet ab agro ad civitatem, à publico ad domum, à domo ad cubiculum & sequetur tribulatio, à cubiculo jam quod fugiat non habet, nisi interioris*

Matth. 27.

Actor. 1.

Theoph. in
Matth. c. 27

Gen. 4.

August. in
Psal. 45.

terius ad cubile suum. Porro si ibi tumultus est, si fumus ini-
quitatis, si flamma sceleris, non illuc potest configere; pellitur
enim inde, & cum inde pellitur a se ipso pellitur; & ecce hostem
invenit, quod configerat, se ipsum; quod fugitus est? quo-
cunque fugerit, se talem trahit post se; & quo cunque talem
traxerit se, cruciat se. Ecce verum infernum, in quo nulla quies-
sed continuum tormentum & sempiternus horror inhabitat,
quod ipsum suo testimonio comprobat D. Bernardus, cum
ait: *Infernus quidam & carcer animæ rea conscientia.*

Bernard.
serm. 4, de
consc.

Procul ergo ejusmodi monstrum, ejusmodi tartarea Xan-
tippe è domo cordis vestri facessat; nemòque ex vobis tam
stultus sit Socrates, ut execrandam ejusmodi uxorem admetet,
& si haec tenus domi suæ habuit, quantocuyus ejiciat, exturbet
& scopis virgisque expellat, ut fecit post perpetratum adultere-
rium pœnitens David, qui de seipso ità cecinit: *Scopebam spi-
ritum meum. Scopebam,* (interpretatur Hugo Card.) per
confessionem spiritum meum ab immundiciis peccatorum.
Ad alteram quin potius puellam animos & oculos adjicite, quæ
tota est candida gemmis & monilibus decora, vultu roseo, pla-
cido & renidenti, semper lata & hilaris, semper serena, tran-
quilla, pacifica, modesta, sincera, non habens maculam neque
rugam, verbo omnia quinque P. P. P. P. ad bonam conju-
gem requisita habens; nam est Pia, & est Prudens, Pulchra,
Pudica, Potens. Ex ardescitis in amorem ipsius? bene est, quan-
tumlibet ex ardescatis licet, hic tutò procos agere fas, imò san-
ctum erit, hic cuiilibet licebit esse rivalem ac sponsum cujus-
cunque ille sit sortis & conditionis, sive sit pauper, sive dives,
sive Clericus, sive Laicus, sive secularis, sive regularis; nec est
quod de & in ea obtinenda multum laboreti: nam ultrò quo-
dammodo connubium vestrum exambit, ultrò manum por-
rigit, & aliud non expectat, quam vestrum consensum, quam
ut dicatis: *Accipio te in meam. Stat accipere? ite ad Sacer-
dotem, coram eo peccata confitemini & cum corde vestro*

Psalm. 76.
Hugo in
Psalm.



Eccli. 36.

Raban.

contractum seu pactum, non peccandi de cetero, seu (ut phrasit Scripturæ loquar) non fornicandi à Deo, inite, & nuptam dominum vestram induxit, inter Rebeccas Piissimam, quia totam Deo ejusque cultui devotam; inter Racheles Pulcherriam, nam, ut ait Siracides: *Species mulieris exhibilat faciem viri sui.* Ubi Rabanus per mulierem pulchram bonam conscientiam intelligit & Syrus legit: *Latitia cordis ipsa est vita hominis & conscientia pura.* Induxisti nuptam inter Abigailes Prudentissimam, nam quæ major prudentia, quam declinare à malo & facere bonum? inter Ruthas Pudicissimam, quia castam turturem & solam soli; inter filias Regum Potentissimam, nam si potens est (quod ait August.) qui mundo imperat, quam beatus ac potens est, qui Deum in conscientia portat. Et jam nuptiæ paratæ sunt: *Venite ad nuptias.*

Prov. 1^o.August. in
confess.

§. II.

*Secura mens quasi juge convivium
nuptiale.*

HIC vobis sponsum illum ipsum Augustinum magnum Ecclesiæ lumen propono, qui hæresi Manichæorum male maritus, diu satis reluctabatur nuptiæ huic manus dare, retentus, ut ipse confitetur, nescio quibus nugis nugarum & vanitatibus vanitatum: at posteaquam eam in domum suam duxit tantam ex ejus casto connubio percepit jucunditatem, ut exclamaret: *O quam suave mihi subito factum est carere suavitatibus mundi & quas amittere metus fuerat, jam dimittere gaudium erat! o felix conscientia puritas! o felix Sanctæ conscientie jucunditas!* quæ verme interiorem excludis, quæ à carcere doloris liberas rationem, quæ ab omni immunditia purgas mentem! *o mens sancta! o paradisus deliciarum, thalamus Dei, palatium Christi, habitaculum Spiritus S. venerant mihi omnia bona pariter cum illa.* Hæc dictus sponsus. Af-



sive nunc amantissime sponse, & cum hac nupta tua jueundè convivare, non centum octuaginta diebus duntaxat, uti Assverus Persa, sed epulare quotidie splendide. Sienim, testimonio ^{Esth. I.} Sapientis, secura mens quasi juge convivium; quis tibi dies sine convivio abeat, qui mentem usque adeo securam habes, ut nulla dete judicia cures, protestans: *Senti de Augustino quid quid voles, dummodo me sola apud Deum conscientia non accuset.* Quantus in conviviis, præsertim nuptialibus, inter homines sit luxus, quanta magnificentia, exordio dictio[n]is audistis, & veterum, præsertim Romanorum, insuper docent exempla, qui subinde tantam ciborum mensis inferebant farraginem, quot alphabethi latini literis initialibus designari possunt, primò missu (quod de Spartiano narrat Ælius Verus) apponebantur cibi incipientes à litera A, ut: artocreas ex diversi generis eduliis, agnus, aper, anser, anas, attagen, alaudæ, anguilla, acipenser, &c. secundò missu cibi incipientes à B. bubula seu bubalina caro, botuli variij generis, brassica, broculi, boleti, balæna, barbo, &c. tertio missu incipientes à C. cervus, caprea, capo, columbarum pulli, cerebella delicata, variarum alitum & quadrupedum, castor, cochleæ, cancri, carpio & sic de reliquis; at quid hæc sunt ad nuptiale conscientia bonæ quæ, (ut loquitur nonnemo, semper in epulis est) convivium? in quotam delicati prostant cibi, ut in eorum comparatione Attica bellaria, sint zizania; Persicæ cupediæ, acrimoniæ; Phasiacæ deliciæ, spurcitiae & filiquæ; Antonii cænu-læ, pauperum sportulæ; Caligulae patinæ, sentinæ; nam, ut ait divus Ambros: *Quis puritate & simplicitate pectoris dulcior fructus? quis cibus suavior, quam is, quem animus bene sibi conscientiæ & mens innocentis epulatur?* Quis ille dulcis adeo fructus, tam suavis cibus? Lex & timor Dei, de quo David justus: *Timor Domini Sanctus, iudicia Domini vera, desiderabilia super aurum & lapidem pretiosum multum & dulciora super mel & favum,* & in alio Psalmo: *Quam dulcia fauibus metis*

^{Cornel. à Lap.}

^{Ambros.}
^{in Psal. 45.}

^{Psal. 113.}

meis eloquia tua, id est lex tua, Deus, super melori meo; haec est illa Ambrosia, hic Deorum cibus, quo ipse met Christus Dominus, dum inter homines ageret, cupidissime vescebatur. Cum enim aliquando fatigatus ex itinere sedebat super fontem Samarie, discipuli ex civitate coemptos panes attulere, rogantes: Rabbi manduca, quibus ait: Ego cibum habeo manducare quem vos nescitis; cumque illi inter se mussitarent; Numquid aliquis attulit ei manducare? tum demum clare quis ille cibus esset exposuit; Meus, inquiens, cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me. Hac est autem voluntas Dei, sanctificatio nostra, inquit Paulus; ut abstineamus nos a fornicatione, ut sciat unusquisque nostrum vas & corpus suum possidere in sanctificatione & honore, ut quieti simus & ut honeste ambulemus, &c. ubi S. Dionysius: Sanctitas, ait, integra, quam Deus a nobis exigit, est ab omni inquinatione libera, incontaminatissima & perfectissima puritas quam qui observando legem Dei, & in virtutibus exercendo se se, adipiscitur, is certe multò jucundius ac filii hominum in epulis carnalibus, deliciatur. Rectè siquidem observavir Rabanus in illud Christi: Beati qui esuriunt justitiam, dicens: Voluntas electorum jucundatur in epulis virtutum tu possit gloriari, longè melius quam Romani de cibis suis alphabetariis alphabeto diviniore: Meus cibus est Amor DEI, meus cibus est Benignitas, meus cibus & fructus divini Spiritus est Continentia & Castitas, meus cibus est Dilectio proximi, meus cibus est Eleemosyna, meus fructus est Fides, meus cibus est gaudium spirituale, meus cibus est Humilitas, meus cibus est Jejunium, meus fructus est Longanimitas, meus fructus est Mansuetudo, meus cibus est Notitia Deiac mei, meus cibus est Obedientia, meus fructus est Pax & Patientia, meus cibus est Religio, meus cibus est Simplicitas, meus cibus est Temperantia, meus cibus est Veritas, meus cibus est Zelus Dei. O cibos dulcissimos, nec ulli fastidio obnoxios! hoc enim distare (verba do S. Gregorii)

Joan. 4.

1. Thess. 4.

Dionys.

Matth. 5.
Rab.

Galat. 5.

Gregor:
hom. 36.
in Evang.

gorii) inter delicias corporis & cordis solet, quod corporales deliciae, cum non habentur, grave in se desiderium accendunt: cum vero avidè eduntur, comedentem protinus in fastidium per satietatem vertunt, at contrà spiritales delicia, cum non habentur, in fastidio sunt; cum vero habentur, in desiderio: tantoque à comedente amplius esuriuntur, quanto & ab esuriens amplius comeduntur.

§. III.

In nuptiis bona conscientia non est audire:

Vinum non habent.

AT numquid nuptiali huic convivio convivii animam vinum deficere dicemus? imò, vultis, aliud vinorum alphabetum, non secùs ac ciborum, recitabo. Tantùm abest, ut hic audiatur querela aliqua: *Vinum non habent*; ut potius è contrario dicatur: *Bibite amici & inebriamini charissimi*, bibite vina omnis generis, quæ in universo orbe celebrantur: bibite ex poculo & scypho Joseph (sic bonam conscientiam vocat Petrus Cellensis conscientia bona, inquiens, est scyphus Joseph, in quo augurari & inebriari solet, animus) bibite inquam vina Austriaca, Boëmica, Cretica, Dalmatica, Engaddi, seu Palæstina, Falerna, Franconica, Græca, Gallica, Hispanica, Italica, Lutenburgica, Malvatica, Mosellana, Necarica, Oenipontana, seu Tyrolensia, Persica, Rhenana, Sicula, Tocaica, Ungarica, Vallis Telinæ. Parum dixi, unum hic vinum omnia reliqua superat, quod ex cellariis ipsius æterni Regis promitur, cuiusmodi se gustasse gloriatur sacra sponsa, dum canit: *Introduxit me Rex in cellaria sua: & ibi dedit mihi poculum de vi-*no condito malorum granatorum musto sive succo, quali vino nullum dulcius, nullum generosius. Zacharias illud vocat *vinum germinans virgines*, hoc est, ut Septuag. legunt, bonum odorem exhalans, ut videatur esse aromaticum, & (quod

Petrus Cel-
lens. 1 de
Com.

Cant. I.
Cant. 8.

Zach. 9.

de

de optimo vino vulgo dicimus) eos vini propter saporem, colorem, & odorem. Vatablus vertit, vinum exhilarans; Syrus: *Fucundans, delectans*. Arabicus: *Ungens instar unguentis*. Pagninus: *Cantare faciens, qui sunt generosi vini, effectus; nam, ut canit Poëta.*

Ovid. in
art.

Vina parant animos

Cura fugit, multo diluiturque mero.

Tunc veniant risus, tunc pauper, cornua sumit,

Tunc dolor & cure rugaque frontis abit.

Senec. l. 3. Similes effectus bonæ conscientiæ enumerat Seneca Philosoph. epist. 13. ad pluſ scribens ad Lucilium: Disce gaudere: Ceteræ hilaritates leves sunt: mihi crede, res severa est verum gaudium.

Quid sit istud interrogas, dicam. Ex bona conscientia, ex honestis consiliis, ex rectis actionibus. Christianæ profecto, si fide divinâ magistrâ dicarentur. Id ipsum Christiani Ascetæ &

Barthol. de Spiritus Magistri docuere, è quibus unus aliquis (Bartholomæo de Martyribus nomen) sex sequentes effectus bonæ Conscientiæ & conversationis cum Deo, quasi totidem gradus, quibus ad cellaria Sponsi cœlestis descenditur, enumerat.

„ Primus vocatur *gustus*, & sapor quidam ineffabilis, quem ex virtutis exercitio, & Dei servitio percipiunt Dei servi longè

„ majorem, quam si vinum dulcissimum biberent. Secundus „ sunt *desideria*, quia divina quo plus gustantur, plus appeti „ solent, contrà quam terrena. Tertius *satietas*, quando ani-

„ ma eò pervenit, ut quæ mundana sunt, abominetur, & solo „ divino amore satietur. Quartus *ebrietas*, quæ est quædam

„ extasis & mentalis excessus, ex prædicta divini amoris satie- „ rate procedens, quæ nullarum imaginum acphantasmatum „ aquâ miscetur. Quintus *securitas* timorem excludens.

„ Sextus *tranquillitas*, h. e. tanta pacis & jubilationis ubertas, „ ut anima quasi in silentio & somno supra pectus Domini re- „ cumbere videatur. Bibebat largè de hoc vino Apostolus,

qui gloriabatur: *Nihil, mali, mihi conscientum*, & ideo in læ-
titia

x. Cor. 5.

titus totus incedens, fideles quoque suos hortabatur. *Gaudete Philip.* 4.
 in Domino semper; iterum dico gaudete. Bibeant veteres illi
 Anachoretæ, S. Abbatis Apollo Socii, de quibus ita Palladius:
 Licebat, inquit, eos videre exultantes in solitudine, adeò, ut
 nullam ejusmodi aliam exultationem in terra videre liceret;
 neque enim erat inter eos aliquis mastus aut tristis. Sic de S.
 Romualdo Monachorum Camaldulensem Fundatore Ro-
 manum recitat Breviarium: assidue se jeuniis & orationibus
 exercebat; vultu tamen adeò læto semper erat, ut intuentes
 exhilararet. Bibebat item de hoc vino S. Dominicus Prædica-
 torum Patriarcha, qui protestabatur, in terra nihil esse, quod
 illi tristitiam afferre posset. Similiter protestabatur S. Ignatius Loyola, qui etiam hanc inter modestiæ regulas suis pro-
 posuit: *Tota facies hilaritatem præferat.* Bibebat B. Ange-
 la de Fulginio quæ tanto gaudio & Dei famulatu afficiebatur,
 ut diceret, se illud non permutaturam cum omnibus vellicitis
 vel illicitis voluptatibus omnium creaturarum. Epuletur
 quantumvis splendide quotidie dives ille epulo Evangelicus,
 nunquam certè ad ejusmodi perveniet gaudium, quod vel
 unica mortis & infernimenti non perturbet. Pulchremel-
 listius Doctor: *Numquid qui vestiuntur purpura & byssō &*
epulantur quotidie splendide, gaudium & letitiam obtinebunt?
 ab sit, ut in terra suaviter viventium gaudiorum inveniatur
 materia, cum tantis, alternationibus tota mundi facies immu-
 retur, ut elevans allidatur & respiret altissus; sed est gaudium
 continua sibi jucunditate firmissimum, quod perfectus animus
 de securisibi conscientia pollicetur. Et post pauca: *Talis animus*
minas aspernatur, nescit timorem, Bern. l. de Conf. premat cor-
 pus, trahat mundus, terreat diabolus; conscientia bona erit
 secura, bona conscientia secura erit cum corpore morietur, secu-
 ra, cum anima coram Deo presentabitur, secura, cum atrumque
 in die judicij ante tribunal terrificum iusti Judicis statuetur.
 S. Ambrosius Mediolanensis Præsul dictare solebat: *Mori-*

non timeo, quia bonum Dominum habemus. Similiter justi dicere possunt: Mori non timemus, quia bonam conscientiam habemus; depingant licet Ethnicorum Philosophi & definiant mortem omnium terribilium terribilissimum, nobis certè mortis dies, dies nuppiarum erit, quomodo fuit S. Fratribus. M. M. Marco & Marcelliano, qui cum à Fabiano praeside ad stipitem alligati, pedibus clavis confixis, sic interpellarentur, respicite miseri, & vos ipsos ab his cruciatibus eripite, responderunt: *Nunquam tam juuandè epulati sumus.*

Sed jam tempus monet, ut ab epulis ad choreas, nuptiarum complementum, surgamus; sine his enim nuptiae imperfectæ & quasi mancæ vulgo censentur, & numquid in castis bonæ conscientiæ nuptiis choreis locus? imò ipsi Paronymphi & cœlestes genii hic choragos agunt: fabulas & officias aliquas loqui me existimatis? aureum oratorem Chrysostomum audite, qui verba illa Sauli ponderans: *Domine, quid me oportet facere?* exclamat: *Quid hac voce jucundius?* ipsa fecit saltare Angelos. Et ubi hujusmodi voces audiuntur magis, quam apud bonam conscientiam, quam Rabbi Levi ait esse bonam illam mulierem de qua Salomon: *Qui invenit mulierem bonam, invenit bonum.* Bonum summum & desideratissimum mulier bona, ait, est sensus obediens Rationi, quasi marito, quod summum est hominis bonum, cuius facultates animi ita in ordinem redactæ sunt, ut subjectæ principibus serviant, easque amore complectantur; cum nimis rum menti omni conatu suam operam præstent, hic bonum adeptus est: ita enim perfectam viri absolutionem consequetur, & quæ cupiebat, obtinebit a Deo, singulari providentiâ hujusmodi viri rebus consulente. Hucusque Rabbi nus, ô felix tuncque felix coniubium, ubi Ratio dominatur & imperat: Voluntas vero servit & obedit, imo ultrero roget Rationem: Domine mihi quid me oportet facere? num hoc illud opus bonum? num orare? num jejunare? num eleemosy-

nam

28. Junii.

Chrysost.
Rom. 8, in
e. 4. epist.
ad Ephes.

Prov. 18.

Rabbi. I.

nam pauperi erogare? num ab hoc illo^e actu abstinere? en-
faho quicquid julleris, & omitto quidquid omittendum cen-
sueris. Ut ergo cum tam bona conjugi connubium ineatis
universi, universis & singulis magnopere author sum: venient
vobis certè *omnia bona pariter cum illa*, & inenarrabilis jucun-
ditas ac divitiae per manus illius. Nihil siquidem, teste iterum
Bernardo: *Nihil jucundius, nihil tutius, nihil datus bonâ Con-*
scientiâ; In usus sanitatem dum ego vobis casti amoris pocu-
lum amatorium (quo in eam saluberrimè exardescatis) pro-
pino, omnes ac singuli unâ mecum acolameris velim: vivat
bona CONSCIENTIA!

Sapient. 7.

DOMINICA III. POST EPIPHANIAM

Quomodo potestate utendum!

*Homo sum sub potestate constitutus, & dico
servo meo fac hoc, & facit.* Matth. 8.

Aqua licet omnibus hominibus nascendi & morien-
di sit conditio; alios tamen aliis majores & superio-
res sive ambitio imperandique libido fecit, sive jus
gentium & voluntaria populorum unum aliquem Judicem,
Ducem, Principem ac Regem sibi diligentium subjectio, nam,
ut scribit P. Aemilius, causa creandorum Regum & Principum
alia nulla fuit, nisi ut Socieras humana unius alicujus capitis
sapientia fidèque conjuncta conspiransque teneretur. Si
leges per se audaciam, coercere possent, illis semel incisis
propositisque sati cautum prospectumque generi humano
videri potuisset: cum vero nullus interdum juris pudor, nul-
la sape legum mortalibus reverentia esset, Summi viri Reges
instituti sunt, qui pro illarum imperio regiminèque arma
ferrent. Datum solium, datum sceptrum, utraque Sacra
ut*Emil. I.g.*

„utique res, ut cognoscerent, ut statuerent, ut jura redderent,
 „ut judicia exerceant, ut numinis munere ea in re fungerent-
 „tur. Ubi parum maiestate, parum imperio hæ valerent,
 „data sunt illis signa, dati exercitus. hæc Æmilius; ex quibus
 patet, principatum & potestatem esse quid divinum, & Princi-
 pes ac Dominos temporales esse veluti Dei Supremi Domini
 quosdam vicarios delegatam ab eo potestatem habentes.
 Quod ipsum testatur & confirmat Apostolus Paulus scribens

Roman. 13. ad Romanos: *Non est potestas nisi à Deo, & qui resistit potes-
 tati, Dei ordinationi resistit.* Ità videlicet ordinantis & vo-
 lentis, homines non solum à se invisibiliter, sed ab ipsis quoque
 hominibus veluti terrestribus quibusdam Diis (ad quos est il-
 lud Psalmi 81. 1. *Ego dixi Dñs estis*) regi & gubernari.

Psalm. 81. Conditurus idem Deus primos homines: *Faciamus, inquit, homi-
 nem ad imaginem & similitudinem nostram;* quærit hic Theodo-
 retus, in quo hæc imago & similitudo consistat! & respon-
 det cum aliis, quos citat; consistere in officio dominandi. Pro-
 bat ex verbis quæ sequuntur: *Et dominetur piscibus maris &
 volatilibus Cæli & bestiis terra quasi homo Deo similis in eovi-
 deatur.* Quòd sicut Deus omnibus rebus, ità homo saltèr alii-
 quibus dominetur.

Corint. 11. Confirmat ex D. Paulo, qui potius homi-
 nem, quam mulierem imaginem Dei appellavit: quia ad ho-
 minem potius quam ad mulierem imperium pertinebat. Ita-
 que jurisdictio in alios est similitudo cum Deo, & qui servo im-
 perat, Deum repræsentat. Non omnes tamen ità imperare
 sciunt, ut servos ad unam imperantis vocem ità morigeros &
 obsequentes habeant, uti habuit hodiernus centuriò, qui au-
 sus est coram Christo omnium Domino gloriari: *Et ego ho-
 mo sum sub potestate (hoc est in potestate) constitutus, habens
 sub me milites: & dico huic, vnde, & vadit; & alii; veni &
 venit, & servo meo: fac hos, & facit.* Rara fanè hujusmodi
 est servorum obedientia, qui alias ità suæ genio vecordes
 esse solent, ut eos veluti boves aut equos stimulis urgere ad

opus

Psalm. 81.
 Gen. 1.
 Theod.
 q. 20.

opus debeas, ut pedem moveant, magna nimis ars est aliis imperare, quam praesenti dictione trademus.

S. I.

Servi sunt suis dominis pretiosi.

ET ecce pro norma boni domini hunc ipsum Evangelicum Centurionem placuit assumere, qui servum domi suæ agrotantem & paralyticum percussum habens, adeò solicitus de ejus curationa fuit, ut cum medicæ artes minimè proficerent, legatos Judæorum seniores ad Christum alegarit, qui eum deparentur dicentes: *Quia dignus est, ut hoc illi praestes;* Luc. 8. *ligit enim gentem nostram;* & synagogam ipse adificavit nobis. Subinde longioris moræ impatiens & ipse ad Christum accessit, humillimè rogans, ut vel unicò verbô agritudinem servi depelleret, se non esse dignum cuius recta subiret: *Domine,* Matt. 8. *non sum dignus, ut intres sub tectum meum;* sed tantum dic verbô & sanabitur puer meus. Deinde addit: *Nam & ego homo sum sub potestate mei ducis constitutus habens item sub potestate mea milites,* & dico huic, vade, & vadit, &c. q. d. verbo meo parent milites, qui sub mea potestate sunt; multò magis obedient verbo tuo morbi, qui omnem superas potestatem. Unde tanta cura ac deprecatio pro uno vili medastino? causam dat D. Lucas: *Quia illi erat, pretiosus.* Siccine servus pretiosus cuius conditione nulla vilior, nulla miserior; ut idcirco Romanus Comicus servos non ferè appellat, quām plagi Plaut. patidas, id est plagarum patientes, gymnasia flagri & flagribus, quorum dorſa mortui incurvant boves (i. e. nervi bubuli) ferri tribaces, (aterendo ferro & compedibus) fustitudinarios, deartuatos, crucisalos, (id est incrucem salientes) verbo asinis consimiles immò deteriores. Addit enim idem Comicus: *Ne-* Plaut. imque ego homines magis asinos unquam vidi; *ita plagi costæ* Pseud. *callent.* Quod etiam veteri apoloogo confirmatur, in quo asinus olitori serviens describitur, quicūm parcè comedederet, laboraret

boraret autem liberaliter & vapularet liberalius: dicitur à Jove petuisse, ut alteri domino venderetur, exoratus Jupiter jussit eum figulo vendi: sed neque ab illo melius habitus, ad cænum vehendum, ad tegulas comportandas adhibitus: cuius oneris etiam impatiens, iterum dominum sessorēmque mutare voluit. Mutavit porrò, & Coriario cessit; sed ab illo exceptus quam pessimè, ad priores dominos redire & anhelare cœpit, veritus, nè coriarius etiam in pelle luderet. Docet fabula, subdit Mythologus, servo nusquam bene esse, cuicunque demum hero serviat. At ita quidem apud heros ethnicos & barbaros, apud quos servi & jumenta in pari censu habentur; non ita apud heros Christianos; Non enim oportet Christianum (ait D. August.) sic possidere servum, quomodo equum; quamvis fieri possit, ut majori pretio valeat equus, quam servus. Novimus præstantem unum aliquem equum non raro mille florenis, aut imperialibus, quin & aureis, comparatum & emptum; novimus ejusmodi equis stabula marmorea, palatorium instar, exstructa, fuéréque (qualis Caligula Imperator) qui hordeum eis ex auro apponenter funderentque vinum in poculis aureis: verùm si naturam servi rationalem & humanam attendamus, hanc non uno duntaxat equo, sed omnibus irrationalibus creaturis longè præstantiorem, utope ad imaginem & similitudinem Dei factam, deprehendemus; quam similitudinem quia in servo suo attendebat centurio, idcirco erat illi pretiosus instar proprie animæ, juxta illud Siracidæ: Si est tibi servus fidelis, sit tibi quasi anima tua; vel, ut Syrus legit: Si tibi servus est, sit tibi tanquam tu. Hinc Author imperfecti in Matthæum: Inter servum, inquit, & dominum nullam differentiam existimabat centurio, sciens, quoniam, et si dignitas in hoc seculo diversa est inter illos, una est tamen natura illis, ideo magis Dei imaginem honorabat, in homine, quam opus captivitatis contemnebat in servo. Hac item de causa Lucilium laudat Seneca in quadam epistola ad eum

August. l. i.
de serm.
dom. in
monte c.
39.

Nicæ in
Calig.

Eccli. 33.

Aut. im-
perf. in
Matth. 8.

cum ita scribens: *Ex iis, qui ad te veniunt, libenter cognovi;* Senec. epist. familiariter te cum servis tuis vivere, hoc prudentiam tuam, hoc eruditionem decet, servi sunt? imò homines, servi sunt? imò contubernales, servi sunt? imò humiles amici, servi sunt? imò conservi, si cogitaveris tantundem in utraque licere fortuna. Conservus omnino servorum suorum videri poterat Evangelicus ille heros, ad quem cùm amicus mediâ nocte ve- Luc. 11. nisset ostium domûs pulsans & rogans: *Amice, commoda mihi tres panes, quoniam amicus meus venit de via ad me, &c.* ille deintus respondit: *Noli mihi molestus esse; jam ostium clausum est, & pueri mei, (id est servi) mecum sunt in cubili.* Cùm autem perleveraret alter pulsando & clamando propter ejus improbitatem & importunitatem, ipse metu hospes è strato suo surrexit, & dedit illi, *quotquot habebat panes necessarios.* Fatum lepidum! diceret non nemo. Si servos in eodem cubiculo secum dormientes habuit, cur ipse è strato surrexit? cur non aliquem ex illis à somno excitavit, ejusque opera pulsanti fores amico panes misit? itáne pretiosi erant pueri illi? noverat utique diurno eos labore nimium defatigatos, & ideo tanquam bonus pater familias noluit vel minimâ necessarii sogni & quietis nocturnæ particulâ defraudare. Observavit ingeniosè Tertullianus & cum eo Seneca Philosophus, heros apud veteres, patres familias potius quam dominos appellatos, ut hoc pacto innuerent, amore magis & benevolentia, quam timore & rigore dominandum esse: *Majores nostri, inquit Se-* Senec. in neca citatus, *dominum patrem familia appellaverant, servos epist. 47. familiares, &c.*

§. II.

Qui potestatem habent, benefici vocantur.

Luc. 22.

Incesserat semel iterumque nescio quæ ambitio & cupiditas dominandi Christi discipulos, ex eo quod putarent Chri-

Matth. 20.
Luc. 22.

stum post' resurrectionem suam in Iudea regnaturum, ut etiam rixa & contentio inter eos oboriretur; *Quis eorum videatur esse major, ceterisque eminentior, cui primae post Christum Regem sedes deberentur.* Quorum ambitionem Dominus suis verbis repressit: *Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur.* Non ait tremendi, saevi, minaces, sed benefici vocantur, quasi nihil tam proprium sit potestati, quam in subditos benignitas & beneficentia, nam ut bene dixit non nemo: *Bonus Princeps non tam potestate quam benignitate dominator.* Et verò, si, uti dimicimus, in potestate constituti quidam Dei vicarii & officiales sunt, in quo magis Deum imitari debent, quam in beneficentia, qui cœlos suos in subjectam terram pluere, & solem suum super eam facit oriri. Sic potentates populos ac subditos suos beneficiis irrigare, & benevolentia sua luce illustrare oportet, si feliciter & recte volunt imperare. Prov. c. 20. docet Salomon: *Misericordia & veritas custodiunt regem, & roboretur clementia thronus ejus.* q. d. clementiam esse veluti basim & columnam marmoream, quam Regna, Principatus, & omnis Potestas subsistit ac fulcitur. Patuit in Augusto Cæsare, qui quadraginta & amplius annis imperio summâ pace & felicitate potitus est nulla alia de causa, quam quod unâ clementia & benignitate ita animos civium conciliarit, ut etiam inimicos suarum vitæ insidiantes ad amorem amicitiamque compulerit.

Prov. 20.

Senec. l. x.
de Clem.

Hæc clementia (ait de illo Seneca) *eum ad salutem securitatemque perduxit; hæc gratum & favorabilem reddidit; hæc ho- diisque præstat illi famam, quæ vivis Principibus servit. Deum esse non tanquam iussi credimus bonum Principem Augustum; & bene illi convenisse parentis nomen fatemur, ob nullam aliam causam, quam quod contumelias quoque suas nullâ crudelitate exequebatur, quod probrosis in se dictis arrisit.* Patuit in Tito Vespasiano, delicio humani generis dicto, qui cum à domesticis moneretur, quod plura polliceretur, quam præstare posset

posset; respondit: non oportere quemquam à sermone Principis tristem discedere significans, optimum Principem ex se pronum esse ad benefaciendum omnibus debere, si possit, & si suetos, non possit, ad benevolentiae saltē signa omnibus exhibendum. Patuit in Alexandro Severo minimè Severo, de quo Lampridius. Moderationis, inquit, tantæ fuit, ut nemo un- " Lamprid.
quam ab ejus latere summoveretur, ita omnibus se blandum " affabilēisque præbebat, ut amicos non solum primi & se- " cundi loci, sed etiam inferiores ægrotantes inviseret. Pa- "
tuit in Trojano, de quo Plinius Junior: Non tu, inquit, ci- " Plin. Jun.
vium amplexus ad pedes tuos deprimis, nec osculum manu " reddis: hæret lateri tuo quisquis accessit, finēque sermo- " ni suus cuique pudor, non tua superbia, facit. Etnè duntaxat
Ethnicorum exempla referamus, quis Magni Constantini
imperii felicitatem & amplitudinem non miratur? Quem, August. l. 8.
ut inquit Augustinus, tantis terrenis Deus implevit muneri- de Civit.
bus, quanta optare nullus auderet: diu enim imperavit, uni- c. 25.
versum orbem Romanum unus tenuit & defendit, in admini-
strandis bellis victoriosissimus fuit, grandevus senectute de-
functus est, filios imperatores reliquit; at, quibus artibus ad
tantū imperii fastigium ascendit? ego quidem, quamvis Dei
præsidio id non dubitem præcipue adscribendum, alterum ta-
men hujus imperii fulcrum miram in omnes Reip. ordines cle-
mentiam & benevolentiam fuisse existimo. Constantino no. i. dotrem
impar Theodosius, cuius ad regnum ascensus eō felicior & glo-
riosior, quò nulla paterna hæreditatis possessio, nulla ambitio,
nulla petitio viam ad illud paravit; at, quibus ille meritis ci-
vium animos aucupavit? magnis profecto clementiā in pri-
mis & benevolentiā, quibus ad benefaciendum aliis naturā suā
effusissimus noscebatur, patientiā deinde & indulgentia erga
illos, à quibus injuria erat impetratus? de qua ejus erga subditos
benevolentia ita D. Ambrosius in Psalmum: Dilexi, quoniam Ambros in
exaudiens Dominus vocem orationis mea: Psalmus hic dum Psalm. 114.

auditur ipsum Theodosium loquentem audimus : *Dilexi agnoscō, inquit, vocem illius piam.* Et verē dilexit, qui officium diligentis implevit, qui servavit hostes, qui regni affectatores perire non est passus; unde in ejus obitu interrogabant Angeli: *Quid egisti Theodosi in terris?* & reddebat; *Dilexi.* Rectē proinde Cato monebat potentes, parcē uterentur sua potestate, quō semper uti possent; scientes potentiam clementia & comitatem fieri diuturnam; ferociā brevem. Et S. Gregorius Papa: *Potestas, inquit, quantum exterius eminet, tantō premi interius debet;* premi per sui cognitionem, considerando, quod Domini ipsi aequaliter cum ceteris conditi sint, non quod temporaliter ceteris pralatis; premi per mansuetudinem, nē mens in fastum, tumorem & subditorum contemptum nimium elata, jam se ipsam, non regat, taceo alios regere non posse. Sicur enim modestus & mansuetus Dominus subditos ad omnia jussa quam obsequentissimos sibi facile reddit, ut reddidit hodiernus Centurio, Alexander Macedo, Otto Magnus Imperator milites, qui ad unum vade, veni, fac, quacunque mandata quantumvis ardua, posthabito etiam propriæ vitæ periculō magna celeritate & alacritate exequuntur: ita vice versa dominorum fastus & nimia severitas subditorum animos vehementer alienat ac ostendit, ut quot qui habent servos, tot sibi faciant hostes, juxta illud proverbium, quod Macrobius & Seneca retulerunt: *Totidem nobis hostes* Saturn, c. II. *Sunt, quot servi.* Et addunt: *Non habemus illos hostes, sed facinus, dum in illos superbissimi, contumeliosissimi, crudelissimi sumus.*

§. III.

Severitas nimia in subditos dominis cavenda.

Patuit in Rege Judææ fastuosissimo Roboam, qui in ipso regni sui vestibulo novis oneribus populum gravans durisque exagitans verbis, ita civium animos exulceravit, ut ad

defectionem decem omnino tribuum impulerit. Ità enim ad
 populum supplicantem ac rogantem: *Pater tuus aggrava-*
vit jugum nostrum, tu subleva, respondit: *Minimus digitus*
meus grossior est lumbis patris mei. Pater mens imposuit vo-
 bis grave jugum, ego majus pondus apponam: *Pater meus ce-*
cidit vos flagellis, ego verò cedam vos scorpionibus. At quid
 inde secutum? hoc nempe ut regnum avi, mansuetudine
 partum, & parentis sapientiâ conservatum amitteret: Mox
 enim auditò ejusmodi responsò decem tribus Israël ab illius
 obedientia sese exemere, inquietes: *Non est nobis pars in* Hieron.
David, neque hereditas in filio Isai: revertere in tabernacula
tua Israël. In quem locum ità D. Hieronymus: *Qui scorpio-*
nibus cedit, & lumbis patris habere se putat digitos grossiores,
cirò regnum David mansueti dissipat. Amisit cum imperio
 & vitam Caligula, eò quòd timeri, quām amari à suis civibus
 maluerit, pro familiari tessera usurpans illud tyrannicum:
Oderint, dum metuant, oderantutique, & metuebant, & quia Sueton.
 suis collis metuebant (audiebant enim crudelēm tyrannum
 identidem dicentem, optare se cunctis Romanis collum u-
 num, quò omnes uno iectu decollare posset) quia, inquam, suis
 collis metuebant, eum in palatio interficiētes à metu semet
 liberarunt. Similem exitum habuerunt Nero, Domitianus,
 Galba, Vitellius, Heliogabalus & plures ejusmodi barbari Prin-
 cipes, Principum nomine ac munere prorsus indigni, utpote
 imperare nescii, siquidem juxta tritum & commune diver-
 bium: *Qui nescit dissimulare, (& in pœnas ac plagas facilis*
est) nescit regnare. Et verò sicuti scire dissimulare regiam
 prorsus & ad imperium natam indolem denotat, quā arte Saul
 primus Hebræorum Rex regnum suum stabilivit, dum con-
 vitiis nonnullorum dicentium: *Num salvare nos poterit iste?* ^{1. Reg. ro.}
impetus, dissimulabat se audire: ità nimium severum ac for-
midandum subditis videri velle, vilem planè animum indicat:
vilium enim plerumque personarum hæc natura est, cum ce-

teris præficiuntur, sublimiorem fortunam nequaquam mode-
stè ferre, sed protinus exinde insolescere, qualis in Evangelio
describitur Dispensator, quem dominus peregrè proficisciens
domus interim suæ familiæque domesticæ præfectum consti-
tuit, ut daret illis *cibum in tempore suo & horâ vescendi*. Cùm
verò dominus diutiùs foris moraretur tardarètque domum re-
dire, ille quasi jam absolutus esse dominus, cæpit percutere ser-
vos & ancillas, & edere & bibere & ineibriari. Pessime nebu-
lo! eóne insolentiæ ex tam brevi Præfectura devenisti, ut tuos
conservos, quos dominus ipse digito non attigit, ausis percu-
tere ac cædere? hæcne tibi commissa potestas, & non potius
eos pascendi, cibos ministrandi in tempore, de vestitu aliisque
necessitatibus providendi cura? certè, quod Socrates Philo-
sophus cuidam tibi simili servum immoderatiùs verberanti
dixit, hoc ego tibi jure potiori aggerere possum: *Nunquām
ne considerāsti, uter vestrūm pluribus egeat verberibus, tu ne-
an famulus?* Et ancilla quos verberas? cavesis profectò, nè
ubi dominus tuus domum redierit, & de administratione tua
hac mala intellexerit, vapules ipse multis. Imò audin' quæ de-
te & in te sententia divino in judicio feratur? *Veniet dominus
servi in die quâ non sperat, & hora quâ nescit, & dividet eum,
partemq; ejus cù infidelibus ponet;* supplicium antiquis: usitatù
erat, malos & infideles servos ac præfectos bifariam hoc est in
duas partes dissecare ac dividere, ut patet ex cap. 13. Danielis,
ubi iniquo seni, qui super populū præfectus constitutus fuerat,
à Daniele dicitur: *Angelus Domini habens gladium, acceptâ
sententiâ ab eo, scindet te medium, scindens autem dividet.* Si-
mili supplicio, licet in bona causa & propter Deum, sub Ma-
nasse tunc impio Rege, S. Isaias Martyr occubuit, in duas &
ipse partes dissectus, ut antiqui Patres, & in his Zeno Episco-
pus his verbis testatur: *Isaias cùm Christum prædicaret, vel
cùm futuræ damnationis eloquium Israëlitico populo nuntiâ-
set, atroci feritate blasphemantium commota barbaries, sé-
ctum*

Matth. 24.

Luc. 12.

Erasm. A.
poph. l. 3.

Dan. 13.

Zeno Ve-
ron. serm.
de Isa.

etum à capite duabus cum violento supplio quasi offulis diffidavit, ius sítque à capite per aures usque ad scapulas se cariceravícem. Hoc ergo idem supplicium iniquo & in suos consertos crudeli dispensatori intentatur: *Dividet eum dominus,* i. e. dividendum & in duas partes secundum tortoribus tradet, & partem, i. e. sortem ejus ponet cum infidelibus servis, qui fidelitatem suis dominis non servarunt. Audiant hæc patres familias, bellici Officiales, Regentes, Capitanei, & quocunque titulo ac nomine Praefecti, audiānt, inquam, & caveant, nè curæ suæ commissos subditos ut jumenta & jumentis pejus trahent, nè plus æquo ac sæpius fustuariam in eis exerceant ac miseros delumbent, memores se constitutos super eos, ut eorum Patres ac Pastores agant, ut dent illis *cibum in tempore*, ò quantum judicium portabant illi, qui canibus delicatas offas cibosq; objiciūt, pauperculos interea subditos diebus totis & quandoq; noctibus in sudore, & labore continuò versantes nè quidē uno grossi panis frustulo refovent, nè unico telæ pannive frusto seminudos & algentes amicire curant. In tales omnino estilla Davidis imprecatio Psal. 16. *Domine à paucis de terra divide* Psalm. 16.
eos in vita eorum. A paucis, scilicet fidelibus ministris, qui respectu infidelium verè pauci sunt, ut dicat Apostolus: *Hic* 1. Cor. 4.
jam quaritur inter Dispensatores ut fidelis quis inveniatur: de
terra divide eos, de terra viventium; divide non loco (ut in-
Hug. Card.
interpretatur Hugo Cardinalis) sed meritò, sive secundum me-
in Psal. 16.
rita vita; vel, divide in morte, quomodo apud Jobum dicitur
torrens dividere lapidem caliginis à populo peregrinante. Ubi Job. 28.
per populum peregrinantem idem Cardinalis intelligit San-
ctos & Justos, qui non habent hic manentem civitatem; per
lapidem caliginis malos, propter cordis duritiam & mentis cæ-
citatem; per torrentem, sententiam judicariam irati Judicis,
quomodo in alio Psalmo de hujusmodi lapideis durisque mi-
nistris dicitur: Divisi sunt ab ira vultus ejus, & cur divisi? Psalm. 54.
quia de absconditis tuis adimpletus est venter eorum: saturati
funt

Psalm. 10.

Mich. c. 1.

Rupert.

Prov. 19.

ibid.

Vatabl.

sunt filii, de absconditis, i. e. de bonis & substantiis subditorum, quos devorabant, insidiantes *veluti leones* ut raperent unum aliquem pauperem ex ipsis; rapiunt pauperem dum attrahunt eum unguibus rapacitatis & crudelitatis suæ; ut dilaniant & devorent in abscondito; veri leonum catuli, illinimorum, de quibus Propheta Michæas: Quasi leones in jumentis, silvarum, & quasi catuli leonum in gregibus pecorum.

§. IV.

Severitate aliquando utendum, *Et*
quomodo?

ET quia leonum incidit mentio, juvat materiam hanc ulterius prosequi & totam illam Prophetæ sententiam accuratius expendere. Dixerat ille prius: *Eruunt reliquia Jacob in medio populorum multorum, quasi ros à domino & stella super herbam, móxque subdit: & quasi leo in jumentis silvarum, & quasi catulus leonis in gregibus pecorum.* In quem locum Rupertus: *Quid magis dissimile, inquit, quam suavitas roris à feritate leonis? quid magis diversum, quam lenitatis stellarum stillantium super herbam, à sevitia catuli leonis rugientis in gregibus pecorum? attamen eisdem reliquis Jacobi, & suavitatis roris, sive lenitatis stellarum, & feritatis leonis, sive impetus catuli leonis adscribitur hic. Cur ita? Videlicet quia magistri populorum, & lenes & severi erant: lenes in docendo sive exhortando, severi in corripiendo & ulciscendo.* Tales omnino Reges & Principes describit Salomon, lenes primum, cum dicit: *Sicut ros super herbam, ita & hilaritas Regis; tum Severos, dum inquit: Sicut fremitus leonis, ita & Regis ira.* Per rorem hilaritatem, vel, ut Vatablus vertit, clementiam, rectè exprimi docent Interpretes: *Quia, ut rore herba virescit, ita populus clementia Regis crescit, & vires colligit: qui tamē terrore simul leonino ex regia majestate proveniente (est enim leo symbolum majestatis) opus habet, nē in licen-*

licentiam nimiam degeneret. Sunt autem hæc duo, clementia & severitas, ita attemperanda, ut plius de illa, quam de hac admisceatur, v. g. clementia sunt unciae sex, severitatis duæ: & propterea Salomon citatus prius misericordiam seu clementiam, posterius veritatem seu justitiam nominavit, cum pronunciavat: *Misericordia & veritas custodiunt Regem,* & Prov. 26.
roboretur clementia thronus ejus. Ubi illud animadvertis, cur solam clementiam robur & fulcrum regni dixerit, cum ambas Regis custodes vocaverit. Ratio à priori est, inquit famosus Interpres, quod Rex per misericordiam sibi devinciat animos subditorum: per justitiam profliget fraudes, insidias, & technas inimicorum, quibus profligatis ceteros omnes per misericordiam sibi amicat; dum ergo omnes habet amicos, non est quem vereatur & timeat. Cornel. à Lap. Matt. c. 18. Regnum cœlorum dicitur esse simile homini Regi. Ut quid additur *homini?* Matth. 18. Numquid non satis fuerat dixisse Regi? homo humanitatem, mansuetudinem, facilitatem significat: Rex potestatem, & majestatem. Prius itaque hominis tum Regis appellatio principi tribuitur, quo doceatur, eum rigidum & austерum tunc esse debere cum res non ferant aliud; clementem vero ac misericordem, usque dum non possit amplius, sic ut non corripiant flagrum, nisi dum multæ occasiones tantaque delicta præcesserint, quæ id postulent. Quomodo enormia delicta Sodomitarum postulabant, ut funditus igne de cœlo missio derentur: *Clamor Sodomorum & Gomorrhæ multiplicatus est, &c.* Comelii Celsi Medici quidam aphorismus ita habet: Gen. 18. Com. Cels. l. 8. c. 4.
Vulnera fomentis lenibus, dum id modo fieri possit, curanda, neque asperas medicinas hoc adhibendas: at si lenia nihil obtineant, tum demum ad manum scalprumque veniendum. Ita fecit bonus & misericors ille Samaritanus, qui cum in hominē à latronibus in silva multis plagiis confauiciatum & semivivum relictum incidisset, misericordia super eum motus alligavit vulnera ejus infundens oleum & vinum. Prius lenitiya, tum Luc. 10. acria

acria adhibens medicamenta, contrà quām multi hodie facti-
tant, in recentes plagas acetum primū affundunt, & post
longam macerationem tandem oleum. Sic Pilatus Iudæo
præfes Christo dicebat: *Nescis quia potestatem habeo crucifi-
gere te, & potestatem habeo dimittere te?* præclarum cura-
torem! prius crucifigere cogitat, tum dimittere, postquam
omnino perdidit & occidit: si dixisset potestatem habeo di-
mittere te, & potestatem habeo crucifigere te, rectius utique
locutus fuisset. Pilato consimiles sunt, præfides ac domini,
qui postquam famulum subditumve suum centenis plagis ac
verberibus ita conciderunt & conquassarunt, tum seminecem
dimitunt, quem confractis ossibus ad operas omniaque munia
deinceps prorsus inhabilem reddiderunt, si puniendus erat
oporebat punire clementer & non usque ad fæces, imò cum
fæcibus iram suam in pauperculo exhaustire & exinanire; ex-
emplo Dei supremi omnium Domini, qui etiam cum irasci-
tur & punit, misericordiam simul exercet, dicente Propheta:

Habac. 3: *Deus, cùm iratus fueris, misericordia recordaberis;* & Psalmista calicem vini furoris in manu ejus describens: *Calix,* in-

Psalm. 74: *quit, in manu Domini vini meri plenus mixto, & inclinabit ex
hoc in hoc;* veruntamen fax ejus non est exinanita; q. d. iræ
poculum in manibus suis habet Dominus, quod tametsi è vase
in vas transfundat nunquam tamen sic evacuatur, quin fæces
maneant reliquæ: at verò, cùm de oleo agitur, illud totum ef-

Cant. 1. fusum dicitur: *Oleum effusum nomen tuum;* vel, ut Septua-
ginta vertunt, *oleum evanatum seu exinanitum nomen tuum;* q. d. Deus misericordiam suam, quæ per oleum significatur, ita
in homines effundit & evacuat, ut nè unica ejus gutta sit su-
per; quod alioqui in oleo rarum propter ejus viscositatem &
tenacitatem semper enim aliquid de eo remanet in vase. De-

Ambroſ in Psal. 37. hoc ita D. Ambrosius: *Calicem vini exinanire non novit, sed
exinanitum est tamen oleum;* quoniam vino ira & austeritas
adumbratur, oleo suavitas & lenitas indicatur, &c.

E P I L O G U S.

*E*sse ergo & vos Domini temporales clementes ac mi-
sericordes, sicut Dominus & Pater uester cœlestis misericors
est: clementes, usque dum non possitis amplius; rigidi, dum
non possitis minus. *Vos verò servi,* (verbis Apostoli vos al-
loquor) *obedite dominis carnalibus, obedite cum timore & tre-*
more, & cum reverentia, in simplicitate cordis vestri, i. e. sim-
pliciter, ingenuè, candidè, sicut Christo, cuius personam & au-
toritatem & dominium vobis repræsentant, non ad oculum
servientes, quasi hominibus placentes, i. e. non placendi dun-
taxat studiō & favoris conciliandi gratiā, sed ut servi Christi,
facientes voluntatem Dei ex animo, i. e. servite non coacte,
non ficte, sed ex animo, quia hæc est voluntas Christi & Dei.
At quid sibi volunt quæ sequuntur? Et vos Domini eadem fa-
cite illis. Siccine Domini ipsi reciprocum servis suis præsta-
re tenentur famulitium, & ministrare illis, à quibus ipsis mini-
stratur? scio equidem multos id egisse Christi Domini exem-
pto dicentis, non venisse se ministrari, sed ministrare: scio S. Luc, 22.
Martinum Turonensem Episc. famulo proprio famulatum
præstuisse, de quo ita Severus Sulpitius: Sacramentis mili-
taribus implicatus, uno tantum, servo comite fuit conten-
tus, cui tamen vice versa Dominus serviebat; adeo, ut ple-
rumque ei & calceamenta ipse detraheret, & ipse deterge-
ret, cibum unà caperent. Legerat fortasse apud Senecam
*Philosophum: *Rideo istos, qui turpe existimant cum servo suo* Senec ep.
*canare. Sed hæc à Sanctis perfectionis studio, & humilitatis**
Christianæ amore factitata consilii sunt, non præcepti. Cùm
itaque Paulus dicit, ut domini eadem servis faciant, quæ servi
illis, non aliud intendit dicere, quam sicuti à servis volunt sibi
ministrari cum facilitate, ingenuè & candidè; ita vicissim ipsi
*erga servos se se faciles & comes exhibeant; ideo ait: *Vos do-**
**mini eadem facite illis, remittentes minas;* q. d. nè sitis in ser-*
vos nimium imperiosi & minaces, dominantes magis passio-

Jacob. i.

Eccli. 25.

Joan. 8.

nibus vestris, & præsertim passioni iræ, quæ, ut ait D. Jacobus Apostolus, justitiam non operatur: *Ira viri justitiam Dei non operatur.* Non sive causa addidit, *viri;* quia licet, non sit ira super iram mulieris, ut loquitur Siracides; quia tamen mulieri dominatus non competit, sed ipsa sub potestate viri est, ejus ira non tanti facienda est: sed neque sine mysterio addidit justitiam DEI; eò quod Deus tametsi summè sit justus neminem tamen juxta condignum sed infra condignum punit. Quisquis ergo servum suum supra & ultra condignum castigat, is verè justitiam Dei non operatur; qui autem justitiam, positivè, non operatur, operatur injuriam; qui operatur injuriam, facit peccatum; qui facit peccatum, servus est peccati; qui servus est peccati, servus, immo sclavus & mancipium est dia-boli.

DOMINICA IV. POST EPIPHANIAM.

Christus in terra loco securitatis per-vigilat; in mari periculorum centro dormit.

Ipse vero dormiebat. Matth. 8.

Sap. 13.

Periculosæ plenum opus aleæ aggressus est quisquis primus navigare cogitans, & per feros fluctus iter facere incipiens exiguo ligno credidit animam seu vitam suam, ut idcirco eum non immerito temeritatis arguat Poëta Tragœdus, qui canit:

Senec. in
Med.

*Audax nimium, qui freta primus
Rate tam fragili perfida rupit,
Terrasque suas post terga videns
Animam levibus credidit auris.*

Ubi

Ubienim plus periculorum quam in mari? quod non nisi tempestatum officina, procellarum domicilium, vorago humanae corporum & mercium & horrida mortis imago est. ubi tot Scyllæ & Charybdes, tot Syrtes & Scopuli, ubi innumeræ monstra varias referentia formas, cete grandia, Sirenes, remoræ, torpedines, & reptilia in perniciem navigantium oberrantia, quæ cum primis experiuntur ii, qui se mari committere non dubitant, ad quos Siracides nos remittit, dicens: *Qui Eccl. 43. navigant mare, enarrent pericula ejus.* Enarret Jason, enarret Aeneas, & enarret Columbus, enarret Americus Vespuetius, enarrent hodierni mercatores, enarrent tot naufragi, qui extremos dum currunt ad Indos pauperiem fugitantes & quem facere volentes, rebus omnibus exuti præter unam nuditatem retulerunt omnino nihil. Hinc M. Cato antiquos inter Sapientes celebratus inter tria, quorum pœnitudine tangentebatur, unum, esse affirmabat, quod mari se commississet eoque navigasset, quod terrestri itinere poterat proficisci. Princeps Philosophorum Aristoteles viros nauticos & navigantes homines bis mortuos appellabat, quod nunquam de vita sint securi, usque dum ad portum pervenerint; & Seneca ait eos inter vitæ mortisque vias incedere; cui consentit Anacharsis, dicens eosdem quatuor tantum digitis, quibus navis mari eminet, à morte distare. Hac de causa Cratylus Platonis discipulus domus paternæ fenestras mare spectantes clausit. Rogerius, cur? æquora, ait, respicere nolo, né cupiat illa animus concidere. In sapientem enim magis decet navigare quam sapientem; nam terram Deus omnibus, aërem avibus, aquam piscibus assignavit. At quid est, quod æterna sapientia Christus navem toties concidat, in eaque insuper dormiat, qui in terra positus nunquam legitur dormisse, sed semper vigilasse? quoties enim non repetunt Evangelistæ: *Erat pernoctans in oratione Dei. Vespere factio ascendit in montem solus orare? Abiit in montem orare. Secessit in desertum & orabat,*

Laërt.
Plat. in
Crat.

Luc. 6.
Matth. 14.
Marc. 6.
Luc. 5.

Prov. 23. bat, &c. dormitionis verò nunquam mentionem faciunt præterquam in navi, & quidem inter medios fluctus & tempestates ubi maximè vigilandum erat. Certè sapiens rem ut periculosisssimam existimat in medio mari dormire, ità de ebrio loquens: *Eris quasi dormiens in medio mari, & quasi sopitus gubernator amissō clavo, h. e. expones te periculis & casibus multis, sicut gubernator aut excubitor dormiens in summitate aut vertice mali, in quo stat ut pirates, rupes, ceteraque pericula eminus ex alto prospiciat, de iisque nautas commoneat; hic enim si dormiat, omnes in discrimen submersionis seu nafragii adducit, séque ipsum multò magis; uti patet in Palinuro, Aeneæ navarcho, qui, dum à somno vincitur ab aquis hauritur, cuius lapsus hisce versibus describit Maro:*

*Vix primos inopina quies laxaverat artus,
Et super incumbens cum puppis parte revulsa
Cūmque gubernaclo liquidas projecit in undas
Præcipitem (somnus) ac socios nec quidquam voce vo-
cantem.*

Verum nihil horum timendum erat quantumvis altum sopito maris Domino: occultum hic mysterium fuit, quod ego præsenti dictione explanabo.

§. I.

*Christus ad pericula suorum dormit,
ut excitetur.*

Observarunt nonnulli illud Aggæi Prophetæ de Messia ovaticinum exponentes, hæc dicit Dominus exercituum: *Adhuc unum modicum, & ego commovebo cælum, & terram & mare & aridam, & veniet desideratus cunctis gentibus, &c.* observarunt, inquam, nusquam plures in mari commotiones factas, quam sub tempus & adventum Christi, sive per bella navalia, ac præfertim actiacum, quo Augustus profligata classe Antonii, factus est Monarcha, teste Sue-

Suetonio; sive per tempestates, cuiusmodi in Britannia ingens usque adeo exorta est, ut insulani dicerent aliquem ex Dœmonibus vel heroibus defecisse. Erratis & nimium erratis Britanni: non dœmon non heros unus quis defecit; sed universi maris mundique totius Dominus ac Domitor prope est, qui mari & ventis imperabit, & legem ponet aquis, nè transiant fines suos, né deinceps sine ipsius numine tantas ausint fluctuum tollere moles. At ecce quam primum venit, maris Dominum ac Domitorem verè ostendit se, cum procellosum ventum veluti servum increpuit & mari ut mancipio præcepit; illudque insuper pedibus suis pressit & calcavit, visus enim est discipulis iterato super illud ad eos in remigando laborantes ambulare Marc. 6. *Venit ad eos ambulans supra mare.* Joan. 6. *Vident JEsum ambularem supra mare,* & proximum navi fieri, quam visionem tametsi multi eandem cum præcedenti putent; D. tamen Chrysostomus diversam arbitratur; ut idcirco lati de ejus præsentia discipuli & de periculo securi quam libenter, dum aderat, navigabant, tam inviti, dum aberat, navim concendebat, teste Marco, qui ait compelli in navim debuisse: *Compulit JEsus discipulos ascendere in navim & præcedere eum transfretum.* Et en cùm ipsum hodie secum habent in navi, quid est quod motus magnus fiat in mari, tumescant undæ, ponto nox atra incubet, quatiatur navicula fluctibus, & venti velut agmine facto qua data portant:

In cubuere mari totumque à sedibus, imis

Virg. I.

Una Eurisque Notusque ruunt, creberque procellis

Aeneid.

Africus, & vastos volvunt ad sedera fluctus;

Præsentemque viris intentant omnia mortem.

Respondet hic Origenes, tempestatem hanc non fortuitò, nec secundum naturæ cursum, sed destinatò, ab ipsomet Christo cam imperante, excitatam. Illa tempestas, inquit, non ex se orta est, sed potestati paruit imperantis ejus, qui educit ventos

de

Orig. hom.
6, in divers.

de thesauris suis, qui terminum mari arenam constituit. Dixit enim ei: Usque hoc venies, & non supergredieris, sed in te metipso confringentur fluctus tui. Hujus ergo iussione & precepto orta est tempestas in mari. Quodque magis admiracionem ciet, tempestate grassante ipse se ad quietem & somnum componit, suavitèque in puppi super cervical dormit. Ores mirabilis & stupenda! pergit Origines, is qui nunquam obdormivit, dormit: is qui cælum & terram gubernat dormit: is qui nunquam dormit, negat dormitat, dormire dicitur: dormiebat quidem corpore, sed divino nutu conturbabat mare, erigebatque fluctus. Cur irà, amabo? ut discipulos in timorem mitteret & ut suum auxilium postularent. Insistamus pressius verbis Adamantii: Ut discipulos in timorem mitteret. Discipulos amantissimus Magister? in timorem filios benignissimus Pater? in timorem oves proprias vigilantissimus pastor? quō toti exangues facti & tantum non examinati sunt. Verum non erat timor ille hosticus, sed planè paternus ac maternus, similis illi, quem suis parvulis matres incutere subinde consueverunt, dum larvatum unum quempiam ad eos territandos subornant, quō conspectō illi pleno cursu ad finum matris convolent vociferantes larva! larva! opitulare mater! mater opitulare! Ethoc matres ideo factitant, ut parvuli ad ipsas recurrent. Ità omnino Christus tempestatem hodiernam in discipulos immisit, ut timorem in eos mitteret, & ut auxilium suum ardentiū postularent, ipsumque excitarent vociferantes & clamantes, exurge, quare obdormis Domine? Salva nos, perimus. Vel, ut habet Marcus: Non ad te pertinet, quia perimus? Siccine oblivisceris tribulationis nostra & extremi periculi, in quo versamur? vulgo dicimus: Qui nescit orare, eat ad mare; significantes pericula, qualia in mari multa esse diximus, optimos esse magistros orandi, nosque erudire, ut ad Deum recurramus, qui alias in prosperis facile ejus oblivisci mur, quomodo Præpositus pincernarum Pharaonis, postquam

Marc. 4.

Marc. 4.

quam de carcere eductus, suoque officio est restitutus, *oblitus* Gen. 40.
est, succedentibus prosperis, interpretis & benefactoris sui Jo-
sephi; & Israëlitæ, dum à periculis immunes erant, citò fece-
runt, (canit Psalmista) oblii sunt Deum & benefactorum ejus, Psalm. 77.
ad quem, cum tribularentur, clamiabant, & diluculò, i. e. pro-
perè, festinanter, & sinè dilatione veniebant ad eum. Isaïa Psalm. 105.
c. 43. ait Deus: Dicam Aquiloni: affer mihi filios de longinquo. Isaïa c. 43.
Quomodo Aquilo filios afferre posuit, qui omnia susque deque
perturbat, rapit & sternit, quo ventorum nullus procellosior,
rigidior atque sævior? affert quin imò vel maxime sæviendo
& rapiendo: per adversitates enim & pericula (quorum Aqui-
lo symbolum est) etiam qui longinqui & à Deo elongati fue-
rant, citò ei proximi fiunt & ad eum quodammodo volant &
feruntur Aquilonaribus licet sed felicibus pennis; nam, ut lo-
quitur M. Gregorius: Felix necessitas que ad Deum ire com- Gregor. in
pellit, & mala qua nos hic premunt, ad Deum ire compellunt. c. 15. Luc.
Conjiciamus nunc, si lubet, mentis oculos in novam Christi
Ecclesiam, quam in Petri naviculâ, de qua Dominus docebat
turbas Luc. 5. figuratam docent Sancti Patres. Proveheba- Luc. 5.
tur illa post Christi in cœlos ascensum, provehebatur in altum,
eiusque remiges vela dabant lati secundo S. Spiritus vento a-
spirante, cum ecce Aquiloni præcipitur: Surge Aquilo, affer
mihis filios. Nec mora surrexit ille, tempestatem excitavit; Fa-
cta est enim persecutio magna in Ecclesia, quæ erat Jerosolimis, Act. 7.
& omnes fideles dispersi sunt per regiones Iudeæ & Samariae
præter Apostolos, eorumque socios, e quibus lapidatur Stepha-
nus, gladio percutitur Jacobus: Saulus Aquilonis associatus totus Act. 9.
& spirans minarum accedit in discipulos Domini, ubi-
que grassatur, eos captivans, & vincens perducens in Jerusalem;
ipse navicula gubernator Petrus ab Herode Agrippa appre-
henditur, & vincens carenis duabus à quatuor quaternioni-
bus militum custoditur in carcere, paulò post ad extremum Act. 12.
suplicium educendus. Quid faciat Ecclesia in tanto turbine
Z guber-

gubernatore suo destituta & clamat ad Christum & orat indefinenter pro ejus & sua salute: *Oratio, inquit Lucas, siebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo; donec tandem tot cl-*

Psalmo 77. *moribus & orationibus, qui dormire videbatur, expergefactus & excitatus tanquam dormiens Dominus & tanquam potens erupatus à vino scilicet amoris & charitatis, quā in suos flagrabat, (ut explicat Hugo Cardinalis) excitatus orationibus Iustorum eodem interprete. Et Saulum quidem vocibus hisce:*

Autor. 9. *Saule! Saule! quid me persequeris? ita increpuit, ut is quasi fulmine prostratus, & tremens ac stupens totum se voluntati ejus accommodarit, è persecutore filius & vas electionis effectus: Herodem verò Agrippam Jacobi occisorem & Petri captivatorem per Angelum percussit: Statuto die (inquit, sacra Actorum historia) Herodes vestitus ueste regia sedidit pro tribunal, confessim autem percussit eum Angelus Domini & consumptus à vermis exspiravit, & facta est tranquillitas. Exinde rursus alii ex aliis Aquilones consurrexerunt, quales Romani Imperatores Claudio, Nero, Domitianus, Trajanus; Adrianus, Alexander severus, Decius & Valerianus, Diocletianus, & Maximianus Herculeus; qui Ecclesiam totis prope 300. annis horribilem in modum persecuti sunt. Jacebant sparsim per urbes & vicos, per compita & agros fæde laniata Sanctorum corpora & membra, quorum multa millia in singulos menses victimarum ad instar cædebantur, jurante Diocletiano à se ad unum omnes Christianos perditum iri. Extremum omnino periculum Ecclesiæ imminebat, dum tandem qui se cum ea*

Autor. 12. *semper mansuram promisit: Ecce ego vobis cum sum omnibus diebus usque ad consumationem seculi, è tam longo somno evigilans filium suscitavit Constantimum item Imperatorem, qui laceram Ecclesiæ naviculam ita refarsit, ita amplificavit, ut excresceret in Praetoriam classemque validam, quæ dominaretur à mari usque ad mare, & à flumine Tiberi usque ad terminos orbis terrarum. Est enim hic Dei genius (ut observavit D.*

Matt. 13. *Cyril-*

Cyrillus Alexandrinus) non statim in principio, sed in extre-
mo periculorum suis succurrere: non incipientibus, adversis, lxx. 1. 3. in
inquit, gratia Christi confessim nos salvat, sed postea quam ter-
ror increverit, & certum videatur imminere periculum, tunc
è mediis fluctibus eripit, timorem abicit, & ab omni periculo
liberans ineffabili virtute in summam tranquillitatem pericu-
lorum fluctus transponit. Sic Davidem Deo alias amicissimum
in aquis tribulationum tam diu natare permisum legimus, us-
que dum illæ in os & interiora ejus intrarent, quemadmodum
ipse testatur orans Deum: *Salvum me fac Deus, quoniam in-*
traverunt aquæ usque ad animam meam, hoc est, ad vitalia psal. 68.
mea: infixus sum in limo profundi & non est substantia. H. e.
demersus sum usque ad imum, nec valeo consistere: *veni in al-*
titudinem maris, & tempestas demersit me: laboravi clamans,
i. e. usque adeo clamavi invocans divinum auxilium, ut raucae
factæ sint fauces meæ; insuper clamori addidit lacrymas, ut
oculos penitus exhauserit, nam defecerunt oculi mei, dum spero
in Deum meum. Speravit, oravit, clamavit, flevit, donec tan-
dem liberatus est, uti petebat, *de aquis multis,* h. e. de aquis per-
secutionum, quas à Saule triginta facile annis perpessus est, à
sua videlicet in Regem unctione, quæ post biennium regni
Saulis, à Deo jam tum reprobati, in Bethlehem contigit, usque
ad obitum ipsius Saulis 38. annis post primum defuncti. Por-
rò persecutiones illas gravissimas fuisse scriptura memorat; to-
tis enim viribus Saul in ejus interencionem, toto illo regni sui
tempore, incumbebat; ut propterea afflictissimus David to-
ries à facie ejus fugere, & latebras querere sit coactus, in quibus
tamen nusquam turus fuit, adversario illum ubivis inquirente,
à quo ita non semel conclusus & circumdatus est, ut non alia
quam divina vi ē manibus illius evaserit. Dic nobis jam tu
Paule Apostole, & enarra pericula tua, in quæ incurrebas, dum
Apostolico fungereris officio: *Ter, inquit ille, naufragium fe-*
ci, nocte & die, in profundo maris fui, periculis fluminum, peri-
culis

^{a. ad Tim. 3.} culis in mari, &c. & ex omnibus eripuit me Dominus. Eripuit & gloriosum Pauli Æmulum Indiarum Apostolum S. Franciscum Xaverium, qui dum in Indias animarum sitiens navigat, naufragio factō toto triduo uni tabulæ, quam ex lacera navi arripuerat, incumbens, cum fluctibus luctabatur, clamans ad Deum, non quidem ut salvaretur, sed amplius, Domine amplius, quasi diceret: omnes fluctus suos mare in me super inducat, hæc ipsa salus mea erit tua causa Deus vel extrema pati quem ita ardeo, ut aquæ multæ non possint extinguere charitatem meam, nec flumina & maria illam obruere. Nemo autem, pergit Paulus, moveatur in tribulationibus his nostris, neque eas miretur; in hoc enim positis sumus, & omnes, qui piè volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur. Omnes ait, nemine excepto; hæc est quippe Christianorum piorum fors & conditio, teste D. Augustino, cuius hæc est ad unum quemque Christianum allocutio: *Si putas te non habere tribulationes, nondum capisti esse Christianus.*

August. in
Psal. 55.

§. II.

Malorum malacia certum naufragium.

Job. 2. 18.

REproborum ferè hæc infelix felicitas est inter continua Alcedonia navigare. Celebratur una quæpiam avis cui nomen alcyon, quæ dum in mari nidificat & ovis incubat, toto illo tempore mare mala cum & tranquillum manet; unde dīverbium: Alcedonia sunt in mari. Et ubi majora alcedonia, quam apud impios & infideles, qui, ut ait sacra Scriptura: *Duncunt in bonis dies suos*, qualis ille epulo Evangelicus, qui induebatur purpura & bysslo & epulabatur quotidie splendidè, Lazarus interim justo ad januam ejus famente; cui res ampla domi & possessiones multæ nimis, luctus & mæror nullus, tranquilla & læta omnia. Et ecce dum usque adeo secundo cursu fortunâ velificante navigat, in puncto, nulla prævia tempestate, nulla præcedente ægritudine (nusquam enim illum ægrotasse memri-

meminit Evangelium) à mari hauritur & ad inferna descendit, ibidemque sepelitur: *Mortuus est dives & sepultus est in inferno.* Cur in inferno? Quia in bonis duxit dies suos; nam nullam aliam causam damnationis ejus allegat Abrahamus ab eodem pro gutta aquæ rogatus dicens: *Recordare quia receperisti bona in vita tua & Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris.* Rectè proinde D. Augustinus felicitatem hujus mundi mare appellavit, sed quod amatores & navigatores suos vorare novit, non portare. Quomodo voravit Pharaonem *cum curribus & equitibus suis*, qui dum eleatum Dei populum per mare rubrum quasi piano itinere inse-
 quuntur, *descenderant in profundum quasi lapis*, vel, ut ibidem Moyses canit, *submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus*, adeo nimis graves erant propter peccatorum suorum pondus, quæ plumbbo comparari alibi ostendimus; ita graves, immò graviores, quia aurò onustæ, erant naves illæ Tharsis quas execratur, eisque contritionem à Deo imprecatur David, dicens: *in spiritu vehementi conteres* (i. e. contere) *naves Tharsis.* Multo sed adhuc gravius Isaías: *Dies, inquit, Domini exercituum super omnem superbum & excelsum, & super omnem arrogantem, & humiliabitur; & super omnes cedros Libani sublimes & erectas, & super omnes quercus Basan, & super omnes montes excelsos, & super omnem turrim excelsam, & super omnem murum munitum.* Quasi diceret dies Domini, i.e. dies vindictæ & ultionis, veniat super omnes superbos & arrogantes, super cedros Libani i. e. super Reges Hierosolymæ flagitosos, super proceres & principes, super quercus Basan, i. e. super fortis, super divites & opibus abundantes, luxui & libidini ignominiosè deditos, ultimò demum addit: *Et super omnes naves Tharsis;* Tharsis i. e. maris utilegunt septuaginta; Tharsenses enim mari latè dominabantur, aurumque & omnis generis lapides pretiosos Judææ aliisque provinciis suppeditabant. Hinc Isaïæ præ ceteris videntur execrabiliores, quod unâ cum

August.
serm. 13. de
verb. Do-
mini.
Exod. 15.

P. s. con-
fid. 11.

Psalm. 47.
Ia. 2.

auro plurima vitia in Judæam intulerint: quod namque sunt

Gregor. o-
rat 14. in-
cant. naves Tharsis, ait Divus Gregorius, nisi innatans *vitiostas?*

nec dissentit D. Hieronymus, inquiens: *Navigio Tharsis com-*

Hieron. in *parantur qui in hujus seculi fluctibus & mari circumferuntur*

Psal. 47. *omni vento luxuria & vanitatis.* Cum auro itaque multa in

Judæam vitia invehebantur, quia aurum & dixitiz, & ex his

enascens prosperitas multorum sunt *irritamenta malorum*, ut

Franc. Men-
doz proæm.
in libros
Reg. cecinit Poëta. Hinc illa Hebræoruni ad gentilicos ritus

„propensio; hinc illa à bonis operibus feriatio; hinc illa de-

„testanda superbia; hinc illa furens ad idola amplectenda

„promptitudo, quasi ex ipsa temporalium divitiarum prospe-

„ritate & vanitate in ipsam falsorum Deorum vanitatem tan-

„quam à præcipitio in præcipitum laberentur. Idem cita-

tus Propheta alteri cuidam provinciæ triste vœ intentat: *Vœ,*

inquiens, *terra cymbalo alarum.* Quæ nam sit illa terra, varijs

variè interpretantur. Optimè ad propositum Sanches & Cor-

nel. à lapide dicunt esse Aethiopiam, eò quod hæc utope navi-

bus abundans in Nilo & mari *cymbalum alarum* vocari possit,

quia cymbalum sua cavitate instar navis est, unde alii pro *cym-*

balum vertunt *cymba*, & Vatablus *Nassa*, in qua vela sunt quasi

alæ; hinc naves veli volæ, sive volantes velorum quasi alarum

remigio. Vocantur præterea Aethiopicæ naves cymbalum,

seu naves cymbalataæ, quia Aethiopes & post eos Aegyptii mol-

les inter navigandum lituis ac fistulis concrepare solebant; un-

de Plutarchus in vita Antonii describit navem Cleopatræ, in-

qua remi ad fistulas tibiaeque modulos movebantur & perso-

nabant. Cymbalata navi provehuntur, insensati voluptæ filii,

qui, apud Jobum *tenent tympanum & citharam & gaudent*

ad sonitum organi. Jubilantes & occidentes, accinentibus illis

nescio quibus sirenis: Peccavimus, & quid nobis, accidit tri-

ste? Salva & prospera sunt omnia. Sed vœ, iterumque vœ, hu-

juscemodi stultis! ipsa enim prosperitas illorum est perditio,

sapientissimè pronunciante Salomone: *Prosperitas stultorum*

perdet

Ila. 18.

Vatab.

Plutar.

Job. 21.

Eccl. 5.

perdet illos. Sic perdidit Polycratem illum samium celebrem Prov. 1.
 fortunæ filium, cuius res, teste Herodoto, tam celeri cursu cre- Herod. I. 3.
 vère, ut unius Polycratis felicitas totâ Græciâ & Joniâ celebri
 prædicatione extolleretur. Nihil ille ita arduum moliebatur
 aut tam difficile, in quo non fortuna ejus votis responderet,
 aderant Polycrati centum biremes, & in his sagittarii mille,
 quibus opibus fatus utramque Ægæi maris oram cum inter-
 jectis insulis suæ in iuriæ reddidit obnoxiam: eò fiduciæ prove-
 ctus ut vulgò jaetaret, se magis iis gratificari, quibus adempta
 restitueret, quam quibus nihil ademisset. Omnes ejus conatus
 placido excipiebantur cursu: spes certum cupitæ rei fructum
 apprehendebat: vota nuncupabantur simul & solvebantur;
 velle ac posse in æquo positum erat: semel duntaxat vultum
 mutavit perquam brevi tristitiae salebrâ succussum, tunc cum
 admodum gratum sibi annulum consilio Amasis Ægyptio-
 rum regis, de industria in profundum (nè omnis incommodi
 expers esset) abjecit: quem tamen continuo recuperavit ca-
 pto pisce, qui eum devoraverat. Sed hunc, cuius felicitas sem-
 per plenis & cymba lati velis prosperum cursum tenuit, Ore-
 xes Darii Regis præfectus, in excelsissimo Mycalensis montis
 vertice cruci affixit: ex qua putres ejus artus & tabido cruento
 manantia membra atque illam lœvam, cui Neptunus annulum
 pescatoris manu restituerat situ marcidam Samos amarâ servi- Paulinus in
vita Ambros.
 tute aliquamdiu pressa liberis ac lati oculis aspergit. Sic per-
 didit prosperitas unum alium divitem, de quo D. Ambrosius,
 Hic cum ad domum ejus divertisset, qui sibi omnia ex voto to-
 to vitæ tempore evenisse gloriabatur, è vestigio recessit, roga-
 tus à comite, cur fligeret tam liberalem hospitem? nè, inquit,
 una cum eo perpetua prosperitate uso male peream. Neque id
 vanum omen. Vix enim domo recesserat, dum ea cum omni-
 bus eam incolentibus terræ hiatu fuit absorpta & quodammodo
 instar navis mersa. Nec longè absimilem exitum sortitus Cornel. Ki-
lian. Duf-
flæus.
 est Hugolinus Gidarescus Pisanus, qui eò devenerat, rebus se-
 cun-

cundis sublatus, ut nutu imperioque quasi cuncta administraret: divitiis, nobilitate, filiis, nepotibusque affluens, beatum se & felicem prædicabat. Cùmque festo sui natalis die fortunam apud amicos extolleret, cæloque æquaret, ausus ad extremum familiarium quempiam interrogare; num quid sibi deesse existimaret: qui attenta rerum humanarum fallaci specie, quámque volucri orbe circumagantur, vel certè, mente à Deo motâ; *Sola*, inquit, *ira numinis procul diuque abesse à tam secundis rebus non potest*. Neque verò absuit. Paulo enim post turri à Gibeliniis inclusus, misera fame cum liberis extinctus est, de quo ita lusit Cornelius Kilianus:

Urbs Pisa, atque Arnus qui Pisam irrigat amnis

Testes exitii sunt, Hugoline, tui.

Cum turri inclusos, charissima pignora, natos

Efurie extingui cernis: & ipse peris.

Fortuna miserum mortales discite casum,

Efurie ecce Comes dirà Hugolinus obit.

Nimirum sicuti mare placidum & tranquillum pernitosius est, quàm agitatum, uti expertus est Siculus non nemo apud Bruson. 25. c. 4. Brusonium, qui cùm ficus vehens procellâ correptus naufragium fecisset, ac mox in littore sedens mare tranquillum videbat, urbanè inquit ad mare: *novi quid velis, ficus nimirum: ita fortuna dum favet, & lenocinatur, tum longè pernitosior est, quàm cùm adversatur; tranquillitas ista tempestas est*, teste D. Hieronymo. Præclarè Publius Chrisippus: Noverca virtutis prosperitas, bajulis ac vectoribus suis sic applaudit, ut noceat, & infelici successu sic fortunatis obsequitur, ut in fine perniciem operetur. Deo interim ad ejusmodi perniciem altum dormiente.

§. III.

Deus ad ruinas impiorum tam altum dormit ut nullis eorum clamoribus excitari possit ad opitulandum.

Hieron.
P. Chrisipp.
1. de curial.
nug.

San-

Sanctus Hieronymus in illa Psalmi verba: *Qui sedes super* Psalm. 98.
Scherubim, moveatur terra: Deum non tantum sedentem
 sed interdum & jacentem, interdum ambulantem inducit, de
 Adamo primo parente ita differens: *Adam quando se abscondit* Hieron.
 à facie Dei, *ambulavit ei Dominus post meridiem, dicat aliquis;*
 si Adam offenderat Deum, & de paradiſo fuerat ejectus, ergo
 imperfecta felicitate est, cuicunque ambulat Deus: & ego di-
 co; si Adam penitus occisus fuisset, & non ei fuisset datus locus
 pœnitentia, jacuisset ei Deus; nunc verò quia datum est ei locus pœ-
 nitentia, propterea ambulavit ei Deus. Ex quibus S. Doctoris
 verbis non obscurè intelligitur, Deum justis & pœnitentiam
 agentibus ambulare; peccatoribus & in peccato perseverantibus
 jacere & altum dormire. Dormit quidem non nun-
 quam & justis, ut ex §. I. & textu hodierni Evangelii liqueat, sed
 dormit sedens & reclinatus super cervical, quo situ meridian-
 tes dormitare solent, quò facilius, & ad unam inclamantis vo-
 cem ex pergeſiant; at verò impiis dormit jacens & in utram-
 que, ut dicimus, aurem dormit, ut ad eorum quantumvis va-
 lidas vociferationes fuscitari facile nequeat. Commune est
 in proximo mortis periculo, v. g. mersionis, lapsus è subli-
 mi, &c. totis fauicibus & viribus vociferari, & alienam opem
 inclamare, quomodo apud Jonam Prophetam oborta grandi
 tempestate, & navi periclitante conteri, nautæ clamaverant
 unusquisque ad Deum suum. Clamant & impii ad Deum
 tunc quando eis improvisus supervenit interitus: *Domine, sal-
 va nos, perimus. Exurge, quare obdormis Domine, exurge, ad-
 juva nos, & libera nos.* Sed clament licet ad ravim usque, cla-
 moribus suis Deum non excitant, quomodo non excitavit sce-
 lestus Antiochus, qui cum videbatur sibi, fortuna favente 2. Mach. p.
 etiam fluctibus maris imperare, mortiproximus, tum primum
 cepit ex gravi superbia deductus ad agnitionem suivenire, di-
 vinâ admonitus plagâ per momenta singula doloribus suis aug-
 menta capientibus, & cum nec ipse jam fatorem suum ferre pos-
 set,

Set, ita ait: Justum est subditum esse Deo, & mortalem non paria Deo sentire. Orabat autem hic scelus Dominum, à quo non esset misericordiam consecuturus. Quid ita? num quid non proprium est, teste Ecclesia, Deo misereri semper & parcere, nec ulla usque adeo grandia esse delicta, quæ misericordiam illius excedant? Sed erat Antiochus ex numero illorum, de quibus Job. Clamabunt, & non exaudiet, Deus, propter superbiam malorum hoc est, vel quia Deo non clamant, sed vel lamentantur; vel de sua fortuna queruntur; vel non Deum sed cognatos, vel amicos, vel potentes homines obnoxie obsecrant; aut certè (quod fecit Antiochus) si Deum orant non ejus gratiam, & benevolentiam in primis querunt, sed à malis liberari cupiunt, & sic intelligenda sunt verba Jobi, propter superbiam malorum, q. d. propter excessum malorum, quæ patiuntur & non propter amorem ad Deum clamant, ideo subdens concludit Job. Non ergo frustra audiet Deus. Juxta Hebreum: verumtamen vanitatem non audiet Deus, i. e. vanas preces quæ ad ipsum & pro ipso non funduntur. Porro qua ratione, quóve sensu Deus dormire dicatur pulchre ante alios exponit

Hug. Card.
Psalm. 43. Hugo Cardinalis, dum ait justis dormire per tribulationes quas eis immittit, ut suprà docuimus: impiis verò dormire per subtractionem gratiæ, scilicet specialis, & efficacis, qua destituti à Deo dicuntur deseriri sibique ipsis relinquunt, ut idcirco nec in articulo mortis conterantur, & in peccatis suis moriantur, quemadmodum Judæi quibus à Christo prædictum: In peccato vestro moriemini. Non equidem est abbreviata manus Domini, inquit Isaias, ut salvare nequeat; neque aggravata est auris ejus, ut non exaudiatur: sed iniquitates vestrae, ô Judæi divisierunt inter vos & Deum vestrum; & peccata vestra abscondebunt faciem ejus à vobis, nè ex audiaret. Q. d.: Non propter defectum manus id est potentiae suæ, non quia aures somno impeditas habet (ita enim dormit, ut simul quasi speculator vigil ē malo diebus omnibus nos, actusque nostros prospiciat à luce prima

Joann. 8.
Isa. 59.

prima in vesperum) sed peccata vestra sunt in causa nè exaudimenti : peccata vestra indignos vos reddicerunt ejus gratia, quæ per faciem intelligitur, interprete suprà citato Hugone. *Facies dicitur gratia Dei vel respectus misericordiae ejus.* Et quomodo respiciat eum, quomodo aures, suas precibus ejus accommodet qui prior vultum & faciem suam avertit à Deo & clamantem audire noluit? *Vocavi, inquit ille, & renuiſtis :* Alii legunt: *Clamabam, & non exaudiēbātis;* ego quoque in interitu vestro dormiam, & aures aggravabo, immo obturabo, nè vos vicissim clamantes: *Salvanos, perimus, audiam.* Sic obturavit aures suas (ut est in exemplis) in funere cuiusdam dicitis coloni, qui cùm ad sepulturam deferretur, & juxta ritum Catholicum Ecclesiasticæ preces, antequam humaretur, pro eo fierent, imago crucifixi palam spectantibus cunctis, qui aderant, utraque manu clavis eviſâ aurem utramque conclusit, auditaque ex imagine vox: *Noluit audire, non audiam.* Erat quippe Colonus ille divini verbi usque adeo negligens, ut nunquam sacræ concionis audiendæ gratiâ templum adiret, sed totus bonis temporalibus, quibus pollebat, immersus Dei & salutis suæ penitus obliscebatur. *Tanta enim (verba sunt Salviani) rerum secundarum prosperitate corrumpimur, tanta mo-* Salvian. 16. de Gubern. *rum insolentium pravitate vitiamur, ut & Dei penitus obli-*
viscamur & nostri; ad hoc tantum data à Deo quiete utimur. ut
in ebrietate, ut in luxuria, ut in flagitiis, ut in rapinis, ut in
omni scelere atque improbitate vivamus; quasi vero beneficium
dat & pacis sit vacatio probrofatis, & ad hoc inducias tranquili-
tatis, Deo donante, capiamus, ut licentiū securiusque peccemus, indigni itaque celestibus gratiis & donis sumus.

E P I L O G U S.

Ut ergo digni efficiamur, eligamus hīc potius cum justis inter tempestates navigare, quam cum impiis inter cymbala, ti-
bias & tympana remos ducere. Navigium est vita nostra &

Cornel. à Lap.
navis, cuius, ut non nemo docet, nautæ sunt vires & potentiae animæ, gubernator est voluntas, proreta, sive custos, & rector navis in prora est mens & ratio; navigantes sunt sensus & membra corporis. Non mergemur, nec ulli nobis nocebunt fluctus, quam diu proreta & rector navis ratio à rectitudine sua nō deflexerit, quām diu gubernator volūtas clavū suū honestè videlicet operationis ac virtutis non dimiserit, quām diu sensus navigantes sentinam non admiserint; quia, ut canit Ecclesia, *nulla nobis nocebit adversitas, si nulla dominetur iniquitas.* Dormiat nobis Deus speculator adstans de super, dormiat, inquā, dummodo non jaceat, bene est. Facile excitabitur, surget & ambulabit nobis, succurrens auxilio oportuno: at verò si requiescens accubet ut leo, si jaceat, dormiens quis suscitabit eum? suscitabunt peccata nostra, quæ tam diu dissimulavit ad quæ tam diu taceuit, & dormivit mortuo similis (solemus enim de eo qui profundū dormit dicere: jacet velut mortuus) suscitabunt, inquam, peccata ut exurgat veluti leo fortis & potens non jam tanquam crapulatus à vino amoris, sed à calice furoris, quem totis naribus efflabit & percutiet inimicos suos, percutiet plagā magna, & dejicit in mare, quibus funebris illa nenia accinetur: *Abyssi operuerunt eos, descenderunt in profundum quasi lapis, & submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus.*

Gen. 49.
Psal. 77.
Psal. 74.
Exod. 15.

DOMINICA V. POST EPIPHANIAM.

Quomodo eradicando malos periculum sit eradicandi & bonos.

Nē forte colligentes zizania eradicetis cum eis simul & triticum. Matth. 13.

Quis non quām optimè suassise suo patri familias hodiernos servos diceret, quando infelix lolium seu zizania ex ejus agro eradicanda suadebant? Tanta enim est lolii

lolii corruptela, ut meritò inter frugum pestes primum numeretur à rei agrariæ sive scriptoribus, sive cultoribus. Naturæ curiosus scrutator Plinius de lolio ita scribit : *Lolium & tribulos non minus quam rubos inter frugum morbos numeraverim.*

Plin. I. 19.

c. 17.

Hinc comedum capiti, cerebro, oculisque nocet : Unde natum est proverbium : Lolio vicitare, in eos qui visu sunt imbecillo; nocet quippe oculis, inquit idem Plinius, propter vapores acres quos in cerebrum attollit. *Quod neque ignoravit Ovidius,* Ovid. I. Fast.

Et careant lolii oculos vitiantibus agri;

Quæ etiam haud dubiè causa fuit D. Hieronymo, cur lolium & zizania pro symbolo nequitiae usurparit, ita scribens, ad Eustochium : *Nequitia, nè zizania crescant, elidatur insemine.* Nihilominus tamen memoratus paterfamilias non modò insemine, sed nec in herba ea elidi eradicarique patitur ; sed servis pro agri incolumitate ac integritate zelantibus, urgentibusque : *Vis, imus & colligimus ea,* categoricè respondet, non. Quid ita bone paterfamilias ? Nonne id è re tua fore tantamne pestem in agro tuo patieris ? Nonne omnes pertransentes pigritiæ & malè administratæ œconomia te insimulabunt, & illud sapientis in te detorquebunt : *Per agrum hominis pigri transi, & ecce totum repleverant urtica ac lolia ?* Nonne succus pene totus adimetur tritico, & ita, qui sperabas ex messe fructum centesimum, recipies vix vicesimum ? eamus & colligamus ea, extirpemus, eradicemus, evellamus. Perstat tamen in sententia sua paterfamilias, & quidquid incontrarium opponatur, suum, non, non ingeminat, & unâ hac ratione adversa argumenta confutat : *Nè forte, inquiens, eradicando zizania, eradicetis cum eis simul & triticum :* Sed nos operam dabimus, ajunt, ut nè eradicemus ; & ita attentè, lentè ac delicate colligemus, ut triticum vicinum non lœdamus. Num quid non & coloni agros suos sic purgant ? Quid mihi molesti estis, stomachabundus tandem reponit herus, sufficiat yobis

Prov. 24.

Hieron. I.
de custodi.
Virg.

me id nolle : *Sinite utraque crescere usque ad messem.* Quid hæc ad vos ! quid Mysterii sub hac lateat parabola , ex ipso parabolizante accipite . *Qui seminat bonum semen , est filius hominis :* Ager autem est mundus : Bonum vero semen hi sunt filii Regni , scilicet cælestis : Zizania autem filii sunt nequam ; Quos cum bonis permistos cur non semper expediat evellere , in praesentiarum docebo .

§. I.

*In agro huius mundi Zizaniorum quam tritici
longe potior pars.*

Am ergo oculos per vastum hunc & ad millena milliaria protensum agrum circumferamus , Deus bone ! quantam non in eo zizaniorum copiam deprehendemus . Adeo ut vix centesima tritici pars videatur . Quadrifariam secatur mundus ; in Asiam , Africam , Europam , Americam , partes sanè capacissimas & populosissimas ; at omnes , proh dolor ! Zizaniorum quam tritici feraciores . In Africa capacissimæ urbes , Alcarium Regni Metropolis & Thremise una alia urbs sedecim milia familiarum numerat . Tunetum novem millia : Maroco centum millia , Fessa , ubi Africæ Regis potentissima Aula sexaginta millia ædificiorum complectitur : & tamen tota hæc grandis in primis multitudo merum est prope lolium , meri si linequam , & perditionis , utpote Saraceni , Mauri , Mahometani , & idololatræ . In Asia feracissima alias mundi plaga , quid aliud videoas nisi infelix similiter lolium , nisi Turcas , Persas , Arabes , Armenos , Tartaros , & id genus barbaros & à fide Christi alienos populos ? Unum Chinensium regnum quo nullum toto orbe capacius , potentius & populosius urbes plurimas complectitur ad septem octóve milliaria nostratia protensa ; in quibus ædificiorum ad 70. aut centum millia numerantur , universa autem China creditur continere hominum milliones supra sexaginta , ex quo tanto numero vix sexaginta millia

Martin. Atl.
fin.

millia Christianorum reperies. Idem dicendum de Americæ populis non tam hominibus, quam humanis bestiis & feris semetipsas devorantibus. Quid porrò de Europa nostra dicam? Num quid non illa, utpote ceteris religiosior & Christianior, à zizaniis immanis est? imò verò quanta in hac regna, quantæ provinciæ, quantæ & quam amplæ urbes zizaniis plenæ sunt! Quis omnes hæreticos, Calvinistas, Zuinglianos, Sacramentarios, Arrianos, Trinitarios, Anabaptistas, Hugonottas, Quackeros, Wickleffistas, Lutheranos, Schismaticos, & omnino Atheos, & perfidam ac ubique terrarum dispersam gentem Judæos in censum revocet? De quibus mihi illud liceat Salomonum usurpare: Eccl. 1. *Stultorum (alii legunt perverorum) infinitus est numerus, qui, teste eodem Salomone, difficile corrigitur.* Jam inter ipsosmet Catholicos & filios regni num quid omnes bonum sunt triticum? ô quot & hic ex tritico degenerant in zizania! quot non hic diaboli & perditionis filii? quantus inter eos numerus scelestissimorum magorum, blasphemorum, perjurorum, sacrilegorum, homicidarum, & parricidarum, adulterorum, incestuosorum, fornicatorum, mollitiæ & luxu diffluentium, invidorum, furum & raptorum, superborum, avarorum, ebriosorum & gulæ deditorum, detractorum, &c. ita ut, si inter bonos & malos Catholicos discernere velimus, vix decimam partem triticeam & in horrea domini inferendam deprehendemus. Et quare (liceat mihi te, ô Deus optimè, cum tuo Jobo sic alloqui) quare tot impii, tot pessima zizania vivunt sublevati confortati que dignitiis? Semen eorum permanet coram eis: propinquorum turba & nepotum in conspectu eorum. Domus eorum secura sunt & pacata. & non est virga Dei super illos; egrediuntur quasi greges parvuli eorum, & infantes eorum exultant lusibus. Vis, Domine, vis imus, & colligimus hac zizania? Vis, dicimus, ut descendat ignis de cælo & exurat ac devoret ea? Nullo modo, inquit ne forte eradicando Zizania eradicetis triticum, fieri enim potest,

Job, 21.

Luc.

*Aug. serm. 46. de di-
versi.* potest, ut quæ hodie sunt Zizania, cras fiant frumentum. Sinite
utraque crescere usque ad messem.

§. II.

*Messis Prædicatio Evangelica est, in qua è Zi-
zaniis optimum triticum colligitur.*

DUplex messis in Evangelii proponitur: alteram, consummationem seculi, de qua in hodierna parabola, Christus vocat: *Messis consummatio seculi est.* Alteram, Prædicationem Evangelii, de qua Joan. c. 4. ad Discipulos suos loquens: *Levate, inquit, oculos vestros & videte Regiones quia alba sunt jam ad Messem & Matth. 9. Messis quidem multa, operarii autem pauci, rogate ergo Dominum Messis, ut mittat operarios in Messem suam.* Prior illa messis est justitiae, in qua Deus per Messores suos Angelos jubebit malos secundum eorum demerita colligi & alligari *in fasticulos ad comburendum*: Hæc posterior est Messis gratiæ, in qua per Evangelii Prædicatores in fideles populi & peccatores ad bonam frugem reducuntur, & quasi è Zizaniis triticum facti in Ecclesiæ Christi horreum in feruntur, aut restituuntur, & per sacramenta seu Baptismi, seu Pœnitentia ab omni vitiositate expiantur, neque mirum divina operante virtute Zizania in triticum converti, quando in Hungaria & aliis Regionibus soli bonitate ja&t;a in terram siligo in optimum crescit, & convertitur triticum. Vix in vastum hujus mundi agrum ad metendum dimissi Apostoli manus operi admoveare cœperant, cum ecce ad falcem Petri omnis erroris *Magistra*, Orbis Domina Roma, *Magistra* facta est veritatis; Ad falcem Andreæ Græcia; ad falcem Jacobi majoris Hispania; ad falcem Joannis Asia; ad falcem Philippi Scythia & Phrygia; ad falcem Batholomæi Armenia; ad falcem Thomæ India; ad falcem Matthæi Æthiopia; ad falcem Simonis & Judæ Agyptus, Mesopotamia & Persia; ad falcem Jacobi minoris & Matthæi Judæa naturam Lolii exuentes in optimum Christi fru-

S. Leo
serm. 1. in
mat. sap.

frumentum convertebantur. Succedentibus ex inde aliis ex aliis operariis Apostolicis cæteræ quoque mundi regiones albae jam ad messem similem conversionem fortiebantur, quam etiamnum hodiéque Germania suo Bonifacio & Gallo, Britannia Magno Gregorio & missis ab eodem doctissimis viris Augustino aliisq; monachis, Hybernia Patricio, Gallia Dionysio, & Remigio, Suecia Anschario Saxonie Carolo Magno Hungaria Stephano, Bohemia & Moravia Cyrillo & Methudio, se debere profitentur. Repullulantibus interea, temporum injuriâ variarum hæresum ac errorum Zizaniis novos denuo operarios divinus submisit Paterfamilias, quando Arrianis, Nestorianis, & id genus Ecclesiæ primum novale pestifera lue sua vitiantibus hæreticis Athanasios, Chrysostomos, Gregorios Nazianzenos, Basilios magnos, Hilarios & cætera. Manichæis, Pelagianis, Donatistis & cætera. Augustinos & Hyeronimos; Tanchelino & sacramentariis Norbertos; Albigensibus Dominicos; aliis denique & aliis sectariis Franciscos ac novissime Ignatium & institutam ab eo societatem Lutherò, Calvinò & hujus ævi errorum Magistris opposuit. Quanta hic animarum messis! nam, ut ceteras Religiosas familias, (quarum mihi Annales evoluere non licuit) silentio premam, unius Societatis JESU ex agro Domini collectæ fruges tantæ sunt, ut longè plures in triticum conversos operâ suâ, quam hæresiarchæ in Lolium perversos numeret. Unus Franciscus Xaverius duos facile Milliones in suum censum vocat, ante cujus in Japoniam accessum cum nè unus quidem censeretur Christianus, labentibus annis censa sunt centena millia. Similiter in China, Brasilia, Peruvia, Mexico, Paraquaria & aliis vastissimis Asiae, Asticæ & Americæ regionibus. Et nè domestica præteream. Refert R. P. Nicolaus Avancinus in elogiis Cæsarum, à solis Ferdinandis secundo & tertio ducenties centena millia hominum (idque potissimum Societatis JESU Patrum operâ) orthodoxæ fidei restitura. In Bohemia unus

Nicol. A-
vanc in e-
log. Cæs.

Vit P. A.
dam.Kraw.
M. S.
August, in
Pf. 54.

Josue 11,
& 12.

a) 9. April.
b) 8. Octob.
c.) VII. P. P.
d.) 12. Sep-
tembre.
e.) 5. Aug.
f.) 5. Aug.

g.) 14. Maij.
26. Sep.

h.) 25. Aug.
i.) 25. Mart.

k.) 28. Aug.

l.) 16. Febr.

m.) 14. April.

n.) 8. Junii
30. Aug.

P. Adamus Krawarzsky triginta facile millia convertisse scribitur. Nè putetis (verbâ sunt Magni Augustini) gratis esse malos in hoc mundo, & nihil boni de illis agere Deum. Omnis malus aut ideo vivit, ut corrigatur, aut ideo vivit, ut per illum bonus exerceatur. Si omnes infideles populi & gentes ad Christi in terras adventum extirpandæ fuissent, qualiter ad adventum Judæorum Duce Josue in terram promissionis extirpati sunt Chananæi, Amorrhæi, Gomorrhæi, Hethæi, ac Pherezæi, Jebusæi, Hevæi & cætera cumriginta uno eorum legibus ; Si, inquam, ad Christi adventum omnes infideles gentes extirpandæ fuissent, quantilla foret ejus hodie Ecclesia ! & (ut cum aureo oratore loquar) si Zizanijs Dei patientia non subveniret, nec Matthæum de Publicano & usurario Evangelistam, nec Paulum de persecutore Apostolum Ecclesia possideret. Etsi eadem mox in herba eradicari deberent, ubi Sancta Maria Magdalena? ubi Sancta Maria Ægyptiaca? (a) ubi Sancta Pelagia Antiochena? (b.) ubi Sancta Thagis? (c.) ubi Sancta Theodora? (d.) ubi Sancta Sara Abrahæ Eremitæ spirituallis fructus? (e.) ubi Sancta Affra, (f.) & multæ aliæ mulieres quondam prostibula? ubi Manasses Rex Judæ flagitiorum omnium compendium? ubi David quondam adulter? ubi Sanctus Bonifacius & Cyprianus Martyres, Diaboli prius asseclæ, incantatores, & Magicæ artis sectatores? (g.) ubi Genesius & Ardelio Pantomimi, & sacrarum cæmoniarum ludicri irrisores? (h.) ubi bonus ille Christi in cruce socius sed ante hac pessimus Latro? (i.) ubi Moses & Landelinus ejus in latrocino se quaces? (k.) ubi Onesimus quondam Domini sui infidelis servus ac turpis fur, ex inde Pauli Apostoli carus Discipulus & sanctus Episcopus? (l.) ubi Valerianus Cæciliae sponsus prius leone ferocior, postagno mansuetior? (m.) ubi Theobaldus, & Bononius è vanis Juvenibus Austerii Monachi? (n.) ubi Natalius pecuniâ inductus Hæreticorum Episcopus ut fieret, & ob id per integrum noctem ab Angelis cæsus, illustre ex inde pœnitentia

tentiæ exemplum? (o.) ubi Theodulus ex Aulæ Regiæ Præfe- 1. Octo.
 sto superbo Edessenæ columnæ humiliis statore & stylites? (p.) p. 3. De-
 ubi Jacobus ex Nefario homicida, asperrimæ pœnitentiæ mi- cemb.
 raculum? (q.) ubi Theophilus Diaconus abnegato Deo ne- 7. 28. Janu.
 fandum Dæmonis mancipium? (r.) ubi demum innúmeri alii r. 4. Febr.
 maximi peccatores, illustribus ad maximam sanctitatem con-
 versionibus Ecclesiam hodie sole clariūs illustrantes? arsissent
 illi profecto arsissent in flammis, nisi Zizaniis divina succurre-
 ret patientia. Verè iterum ac ter verè dixisti Augustine: O
 mnis malus ideo vivit ut corrigatur. Nescimus quis quid fu- Aug. serm.
 turus sit; quoniā aut Judæus aut Hæreticus, aut Paganus for- 59. de
 tè per misericordiam convertetur ad DEUM, & inter sanctos temp.
 primum locum habere merebitur. O Zizania! corrigite vos,
 corrigite, dum messis adest gratiæ, & antequam messis justitiæ
 adveniat. Nè dixeris præfervidè tonitrui fili Boanerges Car-
 pe: Colligamus & evellanūs ea, perdamus, comburamus; sed
 sine crescere dum veniat & ad sit messor aliquis cum aurea fal-
 ce cœlo lapsus, dum veniat unus aliquis S. Vincentius Ferre-
 riūs, S. Bernardinus Senensis, S. Antonius Paduanus, S. Tho-
 mas Villanovanus, S. Franciscus Salesius, S. Franciscus Xave-
 riūs, Caspar Barzæus, Sylvester Landinus, Edmundus Auge-
 riūs S. I. perillustres Ecclesiastæ; ad quorum conciones & præ-
 dications gemant, & ex intimo corde peccata sua detesten-
 tur, ad sacra tribunalia ex homologeos causâ certatim afflu-
 ant, Dei misericordiam inclament, pectora tundant, flagra in Ann. Soc.
 dorsa sua expediant, religiosum habitum induant, & in sacra Jesu.
 claustra cœnobiaque abdant se se, odia inveterata ponant & in
 mutuos ac fraternalis amplexus ruant, culpas de genibus depre-
 centur, iniquè possessa legitimis dominis restituant, largas pau-
 peribus Eleemosynas erogent, chartas lascivas & lusorias libros
 beneficos & incantamenta in rogum injiciant, concubinas &
 lenas, quibus male cohabitabant, ædibus suis exturbent; sed &
 ipsæ mulierculæ mundum suum, lasciviaræ retia, fucos & pig-
 menta,

menta, unguenta & calamistra à se abjiciant & cum fassis permutent, cuiusmodi conversionum è divini verbi prædicatione conceptarum plenæ Sanctorum, plenæ religiosorum ordinum sunt historiæ & Annales. Daret utinam & mihi indigno Ecclesiastæ Deus tantam eloquentiæ vim, tantum dicendi spiritum ac fervorem, ut, si quæ sunt in vobis zizania & ipsa in optimum converterem triticum! sed quia hoc non in dicentis est potestate, sed in vestra audientium voluntate, nec non divinæ gratiæ efficacia, illud solummodo, cum Hipponensi Doctore

Aug. suprà. vos exhortor: ô Zizania! convertite vos, convertite, antequam messis adveniat; messis; inquam, justitiæ, ubi nequam ultra converti potentis; corrige te ô adolescens lascive & turpibus implicate amoribus, corrige te ô Advocaté, causarum iniquarum defensor: Corrige te ô Judex pupillorum & viduarum oppressor: Corrige te ô marite torialieni invasor: Corrigite, inquam, vos dum præsto est messis gratiæ, dum vestram conversionem patienter exspectat divinus Agricola,

Aug. l. de patient. quemadmodum ait D. Augustinus: *Dei patientia prædicatur non in hoc quod malum aliquod patiatur, sed in hoc quod expectat malos, ut convertantur:* Convertite vos vel nunc, dum prædicatur annus acceptabilis, annus jubilei & remissionis,

A. 1675. Jubileus. dum Christi Vicarius auream indulgentiæ portam aperit, dum patent horrea salutis. Non stat converti? lubet malos esse? lubet in peccatis maturescere? lubet alligari in fasciculos ad comburendum? lubet æternum perire? descendat ô descendat jam nunc ignis de cœlo, & devoret atque consumat pessimas istas frugum pestes, quò citius pereant, neque bonum triticum lue sua corrumpant inficiantque: Perversi enim quam difficile ipsi corriguntur, tam facile bonos pervertunt. Sed absit ô! absit vel sic obstinatis interitus eorum accelerationem imprecari! sinamus crescere, quam diu divina vult providentia, usque dum justitiæ messis adveniat; non enim gratis & hi in mundo sunt, iisque eradicatis multa quoque tritici eradicetur seges

seges est necessè. Huc enim rursus facit D. Augustini dictum :
Omnis malus ideo vivit ut corrigatur , aut ideo vivit ut per
cum bonus exerceatur.

§. III.

Qualiter boni à malis exerceantur.

ET quale illud exercendi genus ? quale nimurum agris , ut fe-
races reddantur , adhibendum monet facer Paræmiastes : Prov. 14.
Diligenter , inquiens , exerce agrum tuum. Quisquis es pater-
familias & agricola , exerce eum evertendo , ligone fodiendo ,
vomere proscindendo , sulcando , arando & occando ; pro tali
enim exercitio dabit copiosam messem , qui alias sibimet ipsi
relictus & intactus locò frugum urticas ac tribulos germina-
ret , unde prisci apud Plinium censebant , *satiùs esse minùs sere-* Plin. l. 18.
re & melius arare. Et Virgilius canit : *Laudes ingentiarura ,* c. 3.
exiguum colito : q. d. exiguis ager sedulò excultus plus dabit Virg. Ge-
frugum quam magnus aliquis obiter subactus . Quid aliud fa-
ciunt impii cum bonos opprobriis & tribulationibus quasi vo-
mtere quodam & cultro agrario proscindunt ac divexit , cum
actiones & famam eorum linguis detractoriis ac maledicis ver-
sant & reversant , cum in fortunas & corpora eorum ferro &
igne desœviunt ; quid , inquam , aliud faciunt , quam illos ad pa-
tientiam exercendo sic excolunt , ut fructum plurimum adfe-
rant in patientiâ ? Quantillus erat novellus Ecclesiæ ager (ast
ubi cæperunt tyranni persecutionibus illum exercere , in qua
latifundia se non extendit) plures efficimus (dicebat Tertul-
lianus ad gentes) quo magis metimur à vobis . Messuisti , cru-
delissime Nero , messuisti Paulo caput ; & ecce terni fontes è de-
messo capite profiliere ; unde ager Christianus copiosius irri-
garetur & feracior redderetur . Messuisti Trajane Ignatium
& bestiarum dentibus molendum dedisti ; verum hoc egisti , ut
novum novo Christi frumento multiplicando semen jeceris ,
Messuisti Valeriane Laurentium , & flammis torrei præcepi-

Tertull. a-
polog. c.
ult.

sti: at simul in panem mundum excoisti. Messuisti Diocletiane Vitum, & millenos ac millenos Christi fideles; at pro uno mille plura alia fidelium millia succrescere fecisti. Messuisti Adriane miles non paucos Christianos eosdem, ut quondam Saulus, persequens; at ecce eorundem in perferendis cruciatis constantiam conversus ipse in triticum es. Messuisti Timothee Lampaniae Praeses Januarium ejusque socios; & ecce millia hominum ferè quinque in Christum credere fecisti. Messuisti Antioche Venantium; & Camerino sex ejus sanguine in agro Ecclesiæ surgere fecisti, comprobato Tertulliani dicto: *Sanguis Martyrum semen est Christianorum.* Messuisti Maximine Catharinam: & quinquaginta nobilissimas Græciae spicas Philosophos unà cum plurimis aliis manipulis, ipsaque Imperatrice conjugé tua gratam Christo oblationem prouastrasti. Bene pronuntiavit Mediolanensis Antistes: *Tolle persecutes, & martyres desunt.* Martyres nobilissima ac præcipua Ecclesiæ portio: *Fundendo quippe sanguinem,* inquit D.

Tertull.
suprà.

Ambros.
serm. 14. in
Psalm. 118.

Hieron. ep.
62. ad Theo-
philum.
3. R. 21.

Hieronymus, & patiendo magis quam faciendo Christi fundata est Ecclesia, persecutionibus crevit, martyris coronata est. 3. Reg. 21. Naboth Jezahelites prope palatium Achab vineam habebat; quam ob vicinitatem Rex concupierat sibi que tradi postularat: *Da mihi,* inquit, *vineam tuam, ut faciam mihi horum olerum, quia vicina est & prope domum meam.* Recusante Nabotho ac reponente: *Propitius mihi sit dominus, nō dem hereditatem patrum meorum tibi;* Jussit eum Rex instinetu pessimæ conjugis Jezabelis interfici, & ita vineam innocentis proprii Domini sanguine rigatam fisco regio addixit. Sic rigata vinea desit post hac in dumeta & tribulos silvescere, immo nec in olera degenerare potuit, quantumcumque Achabus operam ad eam oleribus conferendam impenderit, quasi bonus ille Naboth fuso sui corporis crurore perpetuum suæ vineæ viorem conservaret. Sic omnino Christi Ecclesia tot martyrum rigata sanguine à primo suo viore ac flore non tantum

tum non degeneravit, sed in hunc usque diem magis ac magis efflorescit, quod recte animadvertisit D. Ambros. sic eandem al-
loquens: *Te, ô! Ecclesia, te non unius Naboth & sanguis, sed in-*
numerabilium Prophetarum, & quod est amplius, pretiosus
cruor Domini & tot martyrum consecravit. Et statim discri-
men inter utrumque sanguinem constituens, cur videlicet
sanguis Naboth suam vineam ad tempus duntaxat virentem
conservârit; sanguis verò martyrum Ecclesiam in perpetuum
vernantem servaturus sit: *Ille, inquit, nempe Naboth, licet pa-*
rata vitibus incendia proprio cruore restinxerit; temporalem
tamen vineam defendebat: te verò, Ecclesia, in perpetuum
multorum nobis martyrum plantavit interitus. Te crux A-
postolorum amula dominica passionis usque in orbis totius ter-
minos propagavit. Idem S. Doctor contemplans Jobum à dœ-
mone ulcere pessimo à planta pedis ad verticem usque capitis
percussum & in sterquilinium tanquam fatidum cadaver ej-
etum: *Quid, ait, fuit illa tentatio, nisi exercitium fidei insigne*
patientia, eruditio gloria virtutis, confessio plena victoria?

Tentaris ô! Christiane variis malorum generibus? Facultati-
bus & opibus exueris? Liberis orbaris? Famà graviter laboras?
despiceris & vili penderis? Dejiceris & ab ipsis amicis tuis dere-
linqueris, destitueris, desolaris? macte animis! tentatio hæc ex-
ercitium virtutis tuæ est, eruditio gloria & insigne patientiæ,
in qua fructum multum afferas, & eò majorem ac majorem,
quò plures ejusmodi exercitores tibi fuerint. Ut enim D. Lo-
quitur Augustinus: *Magna materies est purgationis bonorum,*
abundantia malorum. Nec mihi volo dicas: saltem esset pro-
pter exercitationem nostram, ut essent pauci mali, & boni mul-
ti essent, non attendis, quia si pauci essent mali, multis non no-
cerent? utique considera, vir prudens, quia si multi boni essent,
& pauci mali essent; pauci mali multis bonis nocere non aude-
rent. Si non auderent, non exercearent, nunc verò, quia multi
sunt mali, laboratur à paucis bonis inter multos malos: & cùm
labo-

Ambros. I.
9. in Luc.

Ambros.
serm. 14. in
Psalm. 118.

August.
serm. 254.
de tempore

Luc. c. 22.
Eutim.

Chrysost.
hom. 5. ad
pop.

Idem h. 8.
in c. 4. E-
phes.

Epilogus.

laboratur, sudatur, & cùm sudatur, aurum (dixerim ad rem nostram, frumentum) purgatur. Luc. 22. cap. dicebat Christus Petro: Simon, Simon, ecce satanas expetivit vos, ut cibararet sicut triticum. Cibrare juxta Euthymium est turbare, mouere, concitare, gyrate & regyrare. Sensus ergo Christi verborum est: postulavit vos satanas ut tentationibus concurret ac perturbaret sicut triticum. Sed quemadmodum tritico cibratio illa & concussio non tantum non officit, quin potius vehementer prodest; sic enim cibratum, sic concussum, sic versatum & gyratum à paleis, pulveribus & sordibus per�gatur, depuratur & majoris pretii ac valoris efficitur; ità boni quò magis à malis cibrantur & divexantur, eò mundiores & illustriores coram Deo redduntur. Non erat tam illustris Jobus (inquit Chrysostomus) quando pauperibus domum aperuit; quām cùm ipsam cecidisse audiens non iniquè tulit. Non erat tam illustris quando ex ovium tonsura nudos circumdedidit; quām fuit clarus, cùm audiens, quòd ignis cecidisset & greges consumpsisset, gratias egit. Tunc humanus fuerat, nunc erat Philosophus: tunc pauperum miserebatur, nunc Deo gratias agebat. Sed nec Paulus Apostolus tam illustris erat, dum in tertium cœlum raptus est, quām cùm in vinculis à Nerone attineretur: nam idem Chrysostomus non dubitat vincula illa ipsis cœlis præferre: Si quis mihi, inquiens, daret totum cœlum, aut illam catenam, ego illam præferrem. Si quis me apud superos collocaret cum Angelis aut cum Paulo vincito; eligerem carcerem, & vincula. Si quis me faceret unum ex potestatisibus, quæ sunt circa cœlos, aut circa Thronos, aut talem vinculum; potius optarem talis esse vincitus, nihil est illa catena beatius.

Beati itaque eritis (singulos verbis dominicis alloquos) beati eritis cùm vos oderint homines & cùm separaverint vos, separaverint tanquam triticum à paleis & pulveribus inter cibrandum: dum enim hoc in vobis egerint, id agent, quod in simili

simili factum se Deus pollicitus est Israeli, dicens: *Concutiam Amos. 9.*
in omnibus gentibus domum Israël, sicut concutitur triticum in
cribro, quæ verba sic explicat D. Hieron. Deus pro magnitudi-
ne sua utraque manu tenens margines terra quasi cibrum hic
illucque concutiet: Ut paleis ac foribus peccatorum in terram
cadentibus, purum frumentum remaneat quod condatur in hor-
rea. Sicut ergo Deus per tribulationes suos electos quodam-
modo cribrando à peccatis perpurgat & mundat, ita mali bo-
nos persequendo præbent eis occasionem multarum virtu-
tum, putâ pœnitentia, patientia & fortitudinis, fiducia & spei
in Deum, charitatis, &c. dum sic in persecutionibus positi di-
cunt cum Psalmista: Persequatur inimicus animam meam & Psalm. 7.
comprehendat & conculcat in terra vitam meam: Psalm. 3. non
timebo milia populi circumdantis me. Psal. 26. si consistant ad-
versum me castra, non timebit cor meum: Dum appropiant super me nocentes, ut edant carnes meas, in Deo sperabo: Psalm.
34. cum mihi molesti essent, inducbar cilicio: Psal. 37. cum ad-
versum me loquabantur, ego tanquam surdus non audiebam, &
sicut mutus non aperiens os suum, &c.

Atquæ ex his patet, tolerandos esse in hoc mundo malos,
 eò quòd sublatis his magna bonorum copia cœlo subtrahere-
 tur: ita tamen tolerandi, ut solicite à bonis caveantur, né hi per
 minus necessariam conversationem in eorum naturam tran-
 seant; nam, ut ait D. Gregorius Nazianzenus: *Res ad imitan-*
dum prona & expedita est, improbitas; nec quidquam tam fa-
cile est quam malum fieri per malos: Tum ut justitia civilia ac
politica suus in eos criminalis processus relinquatur, neque
enim sequitur ex eo, quòd Evangelicus Pater familias Zizania
extirpari vetuerit, maleficos à magistratu minime plectendos,
fures nequaquam suspendendos, pertinaces hæreticos regnis
non proscribendos, veneficas & veneficos non exurendos, &c.
 tunc enim duntaxat toleranda sunt Zizania, dum spes eorum D. Thomas
 conversionis affulget; vel, uti docet Angelicus Doctor, cum pe- 22. quest.
 rificu- 10. a. 9.

viculum est, nè triticum simul evellatur: At verò, (pergit D.
August. 1. 3. August.) quando it à cujusque crimen notum est omnibus, & o-
contra epift
Parmen. mnibus execrabile appareat, ut vel nullos prorsus, vel tales ha-
beat defensores, per quos possit schisma contingere: Non dormiat
c. 2. severitas disciplina. Paulus Apostolus pro suis Galatis zelans,
dicebat: Utinam abscondantur, qui vos conturbant! Idem &
Gal. 5. mihi in præsentiarum liceat exclamare: Utinam abscondantur
qui vos scandalizant, qui suis pravis exemplis & colloquiis bo-
norum adolescentium bonos mores corrumpunt, qui medul-
lam tritici, hoc est primam gratiam ex innocentibus parvulis
extrahunt, & jam in prima eorum pueritia docent illos ea fa-
cere, quæ purus animus vel cogitare, & pudica lingua horref-
cit eloqui, qui non contenti ipsimet in gehenna ardere, plures
suos gehennæ socios efficiunt. Abscondantur, evellantur, ex
agro communitatis ejificantur, conculcentur, in rogum mit-
tantur, comburantur!

DOMINICA VI. POST EPIPHANIAM.

Consuetudo peccandi citò crescit in
arborem, ad ipsam radicibus extrahendam
gigantæis viribus opus est.

Cum creverit, fit arbor, it à ut volucres cœli habi-
tent in ramis ejus. Matth. 13.

OMNE principium quām grave est, ut vulgo dicimus;
tam parvum in omnibus esse tum ipsa rerum procrea-
trix natura, tum solers naturæ imitatrix ars quotidiano
luculente comprobant exemplo: Quid quid enim sive hac sive
illa partuerit, producit ac efficit, illud valde modicum efficit,
dum sensim labente tempore in suam molem suæque magni-
tudinis

tudinis terminum dilatet & extendat se se. Sic Leo fortissimus , elephas vastissimus belluarum , quantillisunt catuli, dum parturiuntur ! homo animalium rex ac Dominus , dum in vi tales procedit auras, spithameus procedit, non prius, quām vi ginti quatuor annorum spatio staturam suam assecuturus. Quercus arborum durissima & ramosissima totis centum annis crescere scribitur, qui turrim aliquam p̄æaltam ædificare cog itat, fundamenta prius profunda fodit secundūm quod ait D. Augustinus : *Cogitas magnam fabricam extruere celitudinis?* August.
serm. 10.
deverb.
Dom. de fundamento prius cogita. Ita nihil repente fit summum, sed à parvis, imò minimis progressus fit ad magna eodem Docto redicente : *Magnus esse vis?* à minimo incipe. Imò hoc magis res quælibet solidantur, quò diutius ac longius formantur, cres cunt, elaborantur; sic unum elephas tarde, sed parit ille bo num. Hinc templum Jerosolymitanum adeò magnificum Joan. 2. & laudatum , quia quadragesimæ sex annis , in eo laboratum. Hinc Virgilii Æneis & Papinii Statii Thebais, ita ad posteros commendatae, eò quòd ille in sua Æneide; hic duodecim annis in sua Thebaide desudavit, uti ipse testatur, canens :

O ! mihi bis senos multum sudata per annos Thebais. Sic in hodierno Evangelio minimum seminum sinapi (cui Ecclesia Christi comparatur) progressu temporis crescendo ex crescit in arborem, ita ut volucres cœli habitent in ramis ejus, volucres, i. e. anima credentium , ut explicat Hieronymus, è Hieron. h. l. quibus constat Ecclesia , primum valde pusilla, hodie magis quām illa vitis Persica Cyri, aut arbor Babylonia Nabuchodonosoris per orbem dilatata. At è contrario inutiles plerum que ac silvestres plantæ eam crescendi salacitatem habent, ut cum creverint, i. e. crescere cœperint, ferè in arborem crescent quales sunt salices, solsequia, arundines, &c. genuina malitia hieroglyphica ac symbola, quæ uti citò crescit augētq; se se ita cum creverit, difficulter extirpatur, quod p̄æsenti demon strabo dictione.

§. I.

Vitium in herba extirpandum.

Gen. 5.

Gen. c. 5. occupatus in mundi quodam veluti satu summus rerum omnium duxor & Paterfamilias Deus cum ad creationem plantarum tertia die accessisset, dixit: Germinet terra herbam virentem & facientem semen, & lignum pomiferum faciens fructum juxtagenus suum, cuius semen in semet ipso sit super terram. Semen, i. e. vim quandam propagativam sibi simile gignendi. Plures enim plantæ non habent semen propriè dictum, ut patet in salice, gramine, arundine, ulmis, populis, &c. sed habent aliquid loco semenis, scilicet in ipsis radicibus, vel foliis, vel ramis aut in ipso fructu, quô se ipsas propagent, suamque speciem perpetuam conservent, uti docet hic D. Ambrosius. Habet & homo qui saepius in scripturis arbori comparatur & plantæ: *Erit sicut lignum secus decursus aquarum, florebit ut palma* Psalm. 91. video homines sicut arbores ambulantes Marc. 8. omnis plantatio, quam non plantavit pater meus eradicabitur. Matth. 15. &c. habet, inquam, & homo in semetipso semen virtutis & vitii, virtutis quidem in potentia intellectiva & volitiva, vitii in appetitu sensitivo: sicut enim nullum hominis majus bonum ad eoque nihil appetibilius & naturæ conformius est, quam virtus, teste Chrysostomo; *It à sensus & cogitatio cordis humani ad malum prona sunt ab adolescentia sua.* Ex quo enim primus homo peccavit, natura hominis usque adeo vitiata est, ut pars inferior sive sensualis partis superiori sive rationi contrarietur, ut non hoc, quod ista vult bonum: Sed hoc, quod illa vult malum faciat. Video, inquit Paulus, in membris meis aliam legem repugnantem legem mentis meæ & captivantem me in lege peccari, quæ est in membris meis, quam legem Apostolus alias vocat concupiscentiam quæ cum conceperit parit peccatum, malum semen malam herbam. At Ezechiel ades quisquis es navus olitor! mala herba

Chrysost.
orat. de
provid.
Gen. 8.

Ad Rom. 7.
Jacob. 1.

herba in horto tuo enata est; age, accelera, & evelle sinè mora,
nec patere, ut crescat & profundas radices agat, quò tibi non
jam duo digiti sed nec utraque manus ad extrahendum suffi-
ciat, & cogaris sarculo eandem effodere cum magna vicino-
rum olerum jactura & areæ detimento. Principiis nempe
obstendum, & quodcumque in nobis oboriri & subnasciani-
mad verterimus vitium, è vestigio, ubi prodierit revellendum;
quod ipsum sub hac similitudine faciendum monet aureus O-
rator: *Furentem, inquirens, equum, nisi quis citò represserit, citò*
peribit. Medici venenum serpens & emanans maxima cele-
ritate, nè ulterius progrederiatur sicut sunt, ejus vitium incidentes
hoc autem nos quoque faciamus, & quod in nobis est vitium, ma-
ximā celeritate reprimamus. Causam addit alibi: quia etiam
quæ parva videnter peccata, citò magna sunt negligentia no-
nstrâ. Citò enim generant habitum & consuetudinem peccan-
di. Est habitus & definitur à Philosophis qualitas ex actibus
præteritis relicta facilitans & inclinans ad similes actus produ-
cendos difficulter mobilis, cuiusmodi qualitas longè citius ge-
neratur & intensior redditur, quò ipsam et potentia per se pro-
pensione est ad tales actus. Sic qui furatus est hodie a sem cras
furabitur duos, perendie tres, ac tandem aureum, imò aureos
per plures, ut patuit in adolescente illo Lucretii cuiusdam fi-
lio, de quo Poëtius, qui à parvis furtis ad majora, à calamis ad
cultris, à cultris ad gladios, à gladiis ad equos gradatim ascen-
debat donec tandem etiam in patibulum descendisset. Sic
Judas (verba sunt citati Chrysostomi) si pecunia amore coér-
cuisset, non venisset ad sacrilegium si illud compressisset, non ad
colophonem malorum profluisse. Et mox addit. Ideo Christus
non solum fornicationem & adulterium, sed impudicum et iam
obtutum reprimit, radicem ab imo evellens ut facilitus posset su-
perari vitium. Qui viderit, inquit, mulierem ad concupiscen-
dum eam jam mæchatus est eam in corde suo. A visu enim & a-
spectu mulieris sensim gradatio fit ad summum luxuriae, quò

Chrysost. in
Psalm, 6.Hom. 8.
in Man.

Poët.

Ibid.

antequam quis perveniat, ex visu exardescit in concupiscentiam, post cogitationibus fœdis immoratur, tum blandius arridet, exin familiares sermones miscet, munuscula missitat, mox tactus & amplexus inverecundos ruit, ultimo demum id agit, quod dicere pudet, quam gradationem scite non nemo his versibus expressit:

Post visum risum, post risum venit ad usum,

Post usum tactum, post tactum paenit et actum.

28. Jan.

Ita pœnituit asperimæ pœnitentia miraculum S. Jacobum eremitarum, qui quadraginta jam annis in eremo, & abstinentia & miraculis admirandus post multas victorias tandem vietus & in horrendum carnis & homicidii scelus prolapsus est, dum filiam Dynastæ cujusdam (quam à tartareo spiritu liberaratus) rogatu parentum secum in eremum (quò tutius ibidem custodiretur) abducit; ex cuius conversatione & consuetudine sensim male incensus eam turpiter corrupit, & ne facti fama diceatur, etiam jugulavit, tumuloque obruit scelus unà se se arbitrans obruere. Tandem pœnitens toto decennio inter ossa in mortuali crypta se quoque vivus sepelivit. Obone senicule! talem tecum sororem mulierem non circumduxisses, non ejus consuetudine usus fuisses, in tantum criminum profundum nequaquam cecidisses: Sed tu quidem condignam crimini bus pœnitentiam egisti, & è profundo hoc tuo sanctè eluctatus es; at quotus quisque tibi par peccator tecum pariter sic eluctatur? Quin imò, ut querulatur sapiens, *cum in profundum venerit, contemnit*, q. d. quotidie crescens in impietate, unāque alteri; ac majorem minori assidue accumulans, tandem in profundum impietatis dilabitur, & in ea radicatur adeo, ut contemnat omnia monita & monitores, omnia scelerata & probra, omnem ingenuitatem & pudorem: Seu, ut explicat S. Athanasius. *Pudorem exuit, omnia damnia & pericula, omnia iura divina & humana, omnia sacra & profana, adeoque omnes cœlites & Angelos, ipsumque DEUM*, cuius tandem providentiam,

Prov. 18.

Athanas.
serm. 4.
cont. Arri.

tiam, immo essentiam & existentiam negat, juxta illud Psalmi: Psalm. 13.
Dixit insipiens in corde suo; non est Deus. Cavenda ergo sunt
 (quod iterum verbis Ambrosii omnes hortor) cavenda sunt
 prima vita, ne in plura deinde graviora prospicient, etenim si-
 cut ii qui se in luto versant quod magis voluntur, eò amplius in-
 quinantur; ita qui semel se luto improbitatis asperserit, nisi ab
 eo velociter exiliat, gravius sibi de decoris sui canum per singu-
 los dies lutulent a conversationis obducit.

§. II.

*Consuetudo peccandi moralem quandam necessi-
 tatem inducit.*

Immo necessitatem quandam moralem peccandi inducit,
 quam ut evellas, gigantem te & unum aliquem Monychum,
 qui evellas radicibus arbores pro telis jaculabatur juxta illud Sa-
 tyrici: *Ingentes jaculetur Monychus ornos, gigantem, inquam,* Juvenal.
esse opportet. Illustravit hanc veritatem pulchro expedimen-
 to quidam in vitis patrum Ascetes, qui tyronem suum quem in fat. L.
 spiritu exercendum suscepserat, pro primo obedientiaz argu-
 mento in horto iussit arbusculam tenellam evellere. Paret
 tyro, & negotio nullo imperata facessit, rursus jubetur aliam
 crassiorem extrahere facit & hoc conatu licet operosiore. Sub-
 inde ad tertiam extirpandam reliquis proiectiorum impelli-
 tur, his illi multum desudandum, hic vires omnes intenden-
 dae, usque dum imperio perfungatur, tandem ad unam ali-
 quam annosam adducitur, jubeturque uti in priores, ita in hanc
 se ostendere crudelem ac robustum. Quod cum seniel iterum
 tertioque tenrasset, arbor nihilominus fixa stabat: *Cea ster du- Virg. 6.
 ra silex aut ster Marpesia caues.* Quare cum diu operam lu- M. A.
 deret, animum ultimò despontit & Archimandritaz imperium
 supra vires suas esse contestatus est, tum senecio (ut phrasit E-
 vangelica utar) *suscipiens mysterium & mentem suam toto*
illi ordine explicuit, docens se eo fine talia imperasse, ut is dis-
ceret

Ceret ita se rem habere cum vitiis, ut se habuit circa stirpes, nam vitia inquietabat, quo magis ac magis inoleverint, & radices in animo egerint, tandem transeunt in consuetudinem instar annosæ illius arboris omnino insuperabilem. Est enim consuetudo, juxta D. Augustinum, secunda quædam & fabricata natura, quam vincere dura est pugna & moralis quædam impossibilitas. Sic Josue fortissimus alioqui heros, qui solem ipsum gigantem illum invictissimum, (de quo canit Psaltes: *Exultavit ut gigas ad currēdā viam*) superavit ac stitit; radicem tamen omnium malorum cupiditatem iri populo Israëlitico superare & extirpare minime potuit: *Iesu Nave*, inquit Ambrosius, qui potuit solem sistere, nè procederet; avaritiam hominum non potuit sistere, nè serperet, ad vocem ejus sol stetit; avaritia non stetit. Sic fur non nemo apud Judicem se excusabat: Domine, à puero furtis assuevi, ac eò tandem deventum est, ut manus cohibere nunquam nec, si velim, possim. Simile quid refert S. Dorotheus de monacho sic furari assuetō. Auditæ, inquiens, rem multis lacrymis prosequendam, cum essem in cænobio, Abbas de seniorum suorum consilio spiritualium rerum provinciam mihi injunxit. Quadam igitur die venit ad me quidam è fratribus & dicit mihi: Da mihi veniam obsecro Domine, & ora pro me, quoniam & furtim surripio & comedo. Ajo ad eum, cur istud agis? esurisne? respondit, certè equidem: neque enim mihi satis est, quod in communi fratrum mensa exhibetur; nec audeo aliud quidquam postulare. Ajo ad eum: cur Abbatem non adis & necessitatem tuam illi insinuas? ait ille; pudore teneor & erubesco, vis, inquam, ego illum convenientiam, ut tuam ipsius necessitatem insinuem? Age, inquit, ut liber pater. Conveni itaque Abbatem & rem illi totam, ut erat, expono. Abbas vero, fac inquit ut bonum tibi videtur & curam illius habe, tunc assumpto illo fratre, ad œconomum me confero, & ajo ad eum: quacunque hora frater iste ad te venerit, da illi, ut edat quantum vult, nihilque prorsus

August.

Psal. 18.

Ambros. I.
2. offic. c,
26.Doroth.
serm. II.

sus illi denegare velis. Faciebat hoc ille ut jussoram, non multos verò post dies venit ad me iterum frater ille : & ignoscere mihi, inquit, Pater, iterum coepi & furari & furtim comedere. Conversus ad eum ; cur hoc, inquam, agis frater? Num oeconomicus denegat tibi quod petis? Ait ille ; nequaquam ; immo quidquid peto libenter exhibet ; sed ego potius erubesco. Tunc ego ; erubesceres, inquam, de me? Respondit, non. Veni, ergo, inquam, ad me & sume quidquid velis, & noli post hac amplius furari. Fortè tunc mihi cura erat infirmorum & agrotantium, accedebat igitur ad me, & quidquid illi opus erat, sumebat. Post aliquot dies coepit denuò furari, & venit ad me tristitia & moerore confectus : En, inquit, pater, denuò furor, cur inquam mihi frater? Num denego tibi aliquid ex his quæ petis? Ait : nihil certè. Cur igitur, inquam, furaris? Respondit ; ignoscere mihi pater, nescio equidem cur id faciam, dic mihi, inquam, revela, quid agis ex his quæ furaris? Respondit, asino ea appono, atque ita inventum est ; furabatur enim fabas, palmulas, ficus, coepas, & alia id genus, quæ poterat invenire : quæ quidem omnia partim sub lectulo suo, partim quounque alio loco poterat occultabat. Demum, cum quid ex eis ageret, non inveniret, ut putrida & corrupta effecta erant, asino ac jugementis ea apponebat. Subjungit dein hujusmodi epiphonema Dorotheus : En fratres, quam miserum sit passiones habere tam inolitas, & in habitum prolapsas. Fuit, qui auditus sit dicere ; ita se ad libidinem impelli, ut si vel tartarum coram se appetum & hiantem videret, abstinere non valeret, ô perdite, & maledicete homo ! unde tibi haec impotentia ? Unde tanta desperatio ? non aliunde sanè, quam ex consuetudine peccandi, quam ex tot iteratis libidinibus, propter quas à Deo desertus es ;

Hoc enim firmiter ac fideliter credendum, teste Augustino, quia August.

nunquam prius Deus deserit hominem, nisi prius ab homine deseratur : Cum enim semel, & secundò & tertio unusquisque gra-

via peccata commiserit, exspectat tamen illum Deus : Cum vero

*in peccatis suis cäperit permanere ; de multitudine peccatorum
nascitur desperatio, ex desperatione obduratio & obstinatio ge-
neratur, quâ animus, vehementer jam ad malum inclinatus,
in peccatis radicatur ac induratur ; qualiter crescendo indure-
cit flecti deinceps nescia Quercus.*

§. III.

Cuiusmodi volucres in tali Quercu habitent.

Arbores avium receptacula & veluti domos esse, prætet-
Psalm. 103. quam quod experimentaliter novimus, sacræ insuper do-
cent paginæ: Psalm. 103. canit Propheta: *Saturabuntur ligna
campi & cedri libani : Ilic passeræ nidificabunt, herodii domus
(avis est rapacissima) dux est eorum : In ulmistro turres residere
ac gemere canit item Poëta:*

Nec gemere aërea cessabit turtur ab ulmo.

Virg.
At ecce nescio quis cuculus ex memorata quercu in conditæ
cuculet, & solenne suum cu, cu ! cu, cu ! oclamitet; nescio
qui ferales coryi suum streperum cras, cras, occrocent. Hæ
nimirum sunt funestæ illæ & male om̄inoſæ indurati peccato-
ris volucres, nam de cuculo inane sibi vulgus persuadet, eum
annos vitæ hominibus cuculando prænuntiare, ita, ut quoties
primò vere suum cu, cu ! primùm audienti ingeminari, totis
annos deinceps victurus sit. Sed quām falsus & fallax hic au-
gur sit, expertus est unus aliquis adolescentis apud Cæſarium, qui
cum audisset cuculum vigesies bis cuculantem, malus Logicus
in pessima forma conclūit, rotis omnino viginti ac duobus an-
nis adhuc se victurum, constituit itaque secum vicenos volup-
tati ac genio dare, duos reliquos pœnitentiæ. Sed heu! ni-
miūm sua illum se fellerunt auguria; nam duobus nec dum be-
ne elapsis annis triste funus fuit, & impœnitens ante diem, diem
Cæſar. l. 5. mirac. c. 17. obivit. Cuculus hic, si non ipse Diabolus, Diaboli certè figu-
ra ac schema fuit, qui nihil satagit magis quām his, quos in pec-
catis habituatos & radicatos tenet longam vitam pollicendo
omnem

omnem pœnitentiaæ (cui summè adversatur) cogitationem
 animo eximere, ut nè quidem in extremo vitæ articulo de ea
 cogitare, imò nec audire velint : Qualiter exemit cuidam Præ-
 lato, quem scio inquit Author, qui hæc scribit, majorem ar-
 genteæ supellectilis, quām conscientiæ curam habuisse, is a-
 nimam exhalavit, contrectans manibus sua salina, pelves,
 lancésque, quas in supremo agone coram adferri jussérat:
 qualiter exemit nobili cuidam fabaudo : qui omnem suum
 amorem Mulieri cuidam impenderat: Obiit dicendo iteran-
 doque millies : *Corculum meum! delicia mea! itane avellor à
 te?* Qualiter exemit nobili item adolescenti Gallo : quem
 mors interea, dum ocreas inducit amicum aditurus, sic ador-
 ta est, ut intra semi horam confecerit. Nullum illi aliud o-
 tium fuit, quām ut conscientiæ exprobrationes exciperet:
 non ad fuit tempori Confessarius, hæc solùm voces testes mor-
 tis & criminum commissorum auditæ : *Misella anima quo
 ibis?* Ivit (quod opinatu facile) ivit cum prioribus duobus, aut
 potius deportata est *in locum horroris & vastæ solitudinis*, ubi Deut. 32.
 à suis illis mendacibus cuculis & voracibus ac procrastinatori-
 bus corvis, velut alter Tityus æternū depascetur secundūm
 quod de impœnitentibus Judæis cecinit Moyses : *Consumetur
 fame & devorabunt eos aves mortuæ amariſſimo.* Per aves non
 nulli Interpretes intelligunt Dæmones, qui ob velocitatem &
 discursum sic nuncupentur. Et Hugo Cardinalis : *Morsus*, Hug. Card.
 inquit, Diaboli amarus est, in peccati perpetratione; amarior
 in separatione animæ; amariſſimus erit in corporis presumptione:
 amarus in presenti per culpam, in futuro per pœnam : Magnus
 item Gregorius cum Diabolo varias formas jumenti, draco-
 nis, &c. attribuisset, ultimò etiam avem vocat : *Diabolus*, in-
 quid, dicitur jumentum, draco & avis : *Humanum genus tri-*
bis *vitiis valde tentat : luxuria, malitia, & superbia.* In eis
 igitur, quos excitat ad luxuriam jumentum est : *Ad nocendi*
malitiam draco est : ad superbiam avis est. At cuiusnam spe-

Barry. foli.
 hag die 4.
 dislert. 2.

h. 1.

Gregor. I.
 3. mor.

ciei avis? Observatum est à Patribus & Scripturistis nunquam Dæmonem visum in schemate unius ejusmodi avis quæ in scripturis sacris mundæ dicuntur & in sacrificium Deo depuntur, uti sunt columbae, turtures, lasciniæ, &c. sic Genesis 15. ait Deus ad Abraham: *Sume mihi vaccam triennem, & arietem annorum trium, turturem quoque & columbam, &c.* observatum, inquam, est nunquam Dæmonem in tali schemate ac forma visum; sed in specie plerumque corvi, cuculi, cornicis, bubonis, vespertilionis, picæ, &c. quæ sunt volucres im-

Gen. 15.

Lev. 11. & Deut. 14.

mundæ earumque eis à Deo prohibetur Levit. 11. & Deuter 14. *Hæc sunt quæ de avibus comedere non debetis, & vitanda sunt vobis: milvum ac vulturem, & omne corvinæ generis, struthionem & noctuam, & larum & accipitrem, herodionem & charadriæ, upupam quoque & vespertilionem, &c.* Quæ ferè omnes sunt volucres carnivoræ, & mortibus pascuntur alienis. Quo alio pastu, quam mortibus alienis pascitur Dæmon cuius cibus gratissimus & electus sunt hominum peccata, quæ ipsius cadavera appellat Divus Hieronymus: *Peccatum, inquiens, est cadaver Diaboli.*

Radulph. Nonnulli Scripturistæ, inter quas Radulphus, per viginti illas edi vetitas aves totidem peccata notant singula singulis avibus respondentia. Primo aquila notat superbiam potentium. Unde Ezech. 17. 7. Nabuchodonosor comparatur aquilæ grandi magnarum alarum. Secundo gryphes significant potentium crudelitatem. Tertio halitus, qui non est tantis viribus, sed tamen prædo, significat violentos in pauperes. Quarto milvus significat potentium infidias. Quinto vultur castra & cadavera assuetans, significat eos qui quasi vultures principum & aularum sunt assuetæ, ad hoc ut eorum ope alios exspolient, quos Alphonsus Rex Aragon. Solebat vocare Harpyias aulæ suæ. Sic & Seneca Epist. 96. Qui, inquit, amico & gro assidet hæreditatis causa, vultur est, cadaver exspectat. Rursum vultures sunt voraces & gulosi, nam ut scribit Epiphan. *Vultur cunctis avibus voracior est,*

*Epiphan.
Physiol.*

est, quadragesima enim diebus cibo abstinet, quem cum invenit, totidem se ex illo libere ingurgitat; itaque quadragenaria abstinentiam quadragenaria influvie compensat. 6. corvi sunt & qui poenitentiam procrastinant & in cadaveribus, i. e. sceleribus omnigenis deliciantur ac illis insidentes & circumvolantes identidem crocitant cras, cras; quasi dicerent, ut interpretatur M. Basilius: *Nobis hodie cras Deo; hodie nobis indul-geamus, & fruamur bonis dum sunt, vino pretioso nos implea-mus, ubique relinquamus signa latitiae; Cras poenitentiam agamus.* Postquam vero (pergit Basilius) *crastinum venerit, rur-sus malus divisor Diabolus sibi hodiernum, crastinum verò Deo dari petit, & sic continuè diem de die trahens, voluptate pre-senti & spe frugis nostram subducit latenter vitam.* Ita subduxit vitam cuiusdam mulierculæ, de qua fideli relatione haec accepi. Michla pagus est non procul à castro Pragensi Wys-serat (sedes erat primorum Bohemiæ ducum) jacebat ibidem ægra præfata muliercula, quam tacita Parca præforibus oppre-nebatur. Forte in ægrotantem incidit illac transiens è Socie-tate Jesu sacerdos: monet, ultimum vitæ discrimen adesse, con-scientiam Sacramentis extremis, ac poenitentia præsertim, ex-piaret; nihil illa tam sana monita pensifacere, nec sibetiam-num tempus esse peccata confiteri. Adebet iteratè die sequen-tipater, & potentiori, quam pridie, oratione instat, animæ rem agi, negotiumque maximè serium æternitatis, consuleret por-rò rebus suis, nec ultrâ confessionem peccatorum protelaret; quæ ceu obstinatus Pharao audicns à Moysi: *Constitue mihi, quando deprecer pro te & pro servis tuis & pro populo tuo, ut a-bigantur rana à te; respondit, cras:* Sic illa patri, in crastinum ut veniret, dixit, cras monitis obtemperaturam se se, & pecca-ta confessuram, pactum accipit Sacerdos, & altero die accepto secum in theca salutari Viativo valde manè ad pagum pro-pe-rat, & ecce (o mira Dei judicia!) dum limen casæ contingit, è vestigio mulier infelicem animam expirat, & diem ante

Basil. hom.
33. ex horr.
ad bapt.
Sap. 8.

diem, quem sibi male præfixerat, obit, indigna crastinum super vivere, quæ hodie vivere noluit.

Seranimis vita est crastina, vive hodie.

Mart. I. 5.

Canit Poëta Genialis: quod nobis ad nostrum sensum licebit detorquere ac dicere: sera nimis poenitentia est crastina, quam alteram vitam, per quam post peccatum spiritualiter reviviscimus, patres appellant; sera, inquam, est poenitentia crastina, quæ non fit in tempore, cras enim nihil temporis à parte rei est, sed mera futuritio ejusdem cum priori incerta ac dubia; siquidem, ut rectè alias cecinit Poëta:

*Nemo tam divos habuit faventes,
Crastinum ut posset sibi polliceri.*

Plutarchus
in Socratem

Sera est poenitentia crastina, quia minimè seria &c, quod ait D. Augustinus, raro vera. Differebat quidem seria in crastinum Archias Thebanorum Tyrannus, cui cœnanti dum Epistola traderetur, quæ coniurationem civium adversus eum detegebat, & domum, ad quam se conjurati receperissent; is vino jam mersus, & mulieris amatæ exspectatione gestiens, Epistolam quidem accepit, sed non legit, & cum diceret tabellarius, de re seria scriptam esse; respondit: Ergo seria in crastinum. Italiæ pulvino subjecit, & dum sic in re serialudit, mors crastini non exspectans, serio rem suam egit, nam eadem nocte procastinator ille à conjuratis confossus est.

Epilogus.

Vive itaque hodie o peccator, & si hodie audieris vocem DEI te ad poenitentiam excitantis noli cum Pharaone obdurare cor tuum, qui tot tantisque plagis ad obedientum DEI excitatus, & commonitus audire noluit, sed magis ac magis induluit. Unde illi tanta durities? Non aliunde sanè, quam ex habitu & longa consuetudine peccandi, quæ in alteram, ut supra diximus, in eo transjerat naturam, non quod libertatem ei ademisset (perditio enim tua ex te peccator) sed quod eum tam vehementer ad malum usque & usque impulisset, ut moraliter, hoc est juxta hominum estimationem, à peccando abstinere

stinere nequiverit, DEO justè permittente, ut in poenam unius peccati in alterum, & ex hoc in aliud & aliud laberetur, usque dum impletet mensuram peccatorum, quâ impletâ totaliter à DEO desertus reprobaretur, & in peccatis suis moreretur, quomodo mortui sunt obstinati Judæi, quibus à Christo prænuntiatum: In peccatis vestris moriemini. Sic mortua est Joan. 8. puella quædam, Seruana Catharina nomine, quam pro corone Hist. Soc. ex historia Soc. Jesu hic sub jicio. Hæc à teneris libidinibus assueta, visu ac vultu procax, effusa jocis, arguta dicteriis, Jesu pars. I. cachinnis petulans, incessu præceps, gestu inverecunda, cum 10. n. 257. in supremum morbum incidisset, adduci nulla ratione potuit, ut suas spurcitas sacerdoti in confessione aperiret, levibus duntaxat & venialibus quibusdam noxis cursim recensitis, inter quæ (verba refero scriptoris) vel Deo sacri legium ulciscente, vel Diabolo sibi addictam, ut solet, cruciante, vel denique æstu animi redundantem, in lanuorem corporis ægra furiis velut quibusdam agitari cœpit. Duravit aliquantulum horrenda visu contorsio à qua tandem ad usum sensuum & quietem aliquam puella rediens Dominæ sua dedecora narravit, à quibus sacerdoti prodendis deterrei se ajebat, à quodam sibi ad lævam adstante torvæ frontis speetro (cuculus infernalis personatus erat) incitari contrâ ad ea Confessario fatenda à muliere splendida, quæ à dextris ad esset, planè simili tabulæ in templo expositæ S. Magdalena referenti. Hic puellæ hera vehementius in hortationes incumbere, interimque servo Patrem curriculò ut accesseret mandare. Adfuit brevi vocatus sacerdos, cui matrona in ægræ cubiculum ingredienti; Catharina, inquit, Pater valde opera tua indiger, numquam es enim integrè confessa. Mox ut ei pudorem noxiū demeret, quæ ex ægrotate compererat, patri coram ipsa, quasi ejus nomine, exposuit. Hæc & hæc, inquiens, hactenus Catharina in confessione reticuit, sed nunc ea nobis fassa, etiam tibi, quando ita necessè est, nota vult, ad quæ infelix, obstinatione se involvens sua, manifeste

festè renuit & pervanâ linguâ, quam Patri ignotam sciebat; atqui, ait, dominam intuens, ista tibi cō animō non credidi, ut huic communicares quem de his maximè cœlatum volo, omnia hic deinceps conari omnes, minis blanditias adjungere, intentare cruciatus inferorum, ignis æternitatem, ostentare paradisi delicias, &c. sed tundebant incudem. Interim mortis propinquè inditia exstabant; sacrum cereum raptim mulieres accendunt, ægram, ut illum sumat & Jesum invocet, hortantur; illa torvum intuens; tollite istum Jesum, nihil mihi cum illo est. Simulque toto corpore se avertens in remotissimum lectuli angulum, ibi sessim assurgens confabulari cum quodam videbatur. Sed alia ancilla eodem in conclavi languens terribiles se formas circa Catharinam videre clamatbat. In his posito capite sontem animam meretricula pervicax efflavit. Fædissimum visu cadaver odorem repente tam teturum inhalavit, ut non exspectatâ luce (nam nox erat) ejiciendum in subdiale atrium fuerit. Quæ post mortem ejus secuta sint, quosve tumultus in domo conciverit, quām horribili formâ sæpius domesticis apparuerit brevitatis causâ omitto.

Nè, pueri, nè tantâ animis assuecite bella,

Virg. I. 6.
En.

Monebat Pompeii & Julii Cæsaris manes apud inferos Anchises. At ego omnes ac singulos adolescentes & adolescentulas hortor ac moneo: nè, ô! adolescentes, ô! pueri & puellæ, filii ac filiæ, nè, quæso, tanta à teneris assuecite vitia; nè assuecite Doemoni priùs quām Deum invocare; nè assuecite turpia & blasphema priùs loqui, quām orationem Dominicam recitare; nè assuecite libidini, compotationibus, odiis, rixis, pugnis, & similibus vitiis; sed ea etiamnum in herba, in viridi ætate evellite, eradicate, extirpate, nec sine crescere in arborem, quam dum extrahere ultrà non possitis, & mors inopina securi sua ad radicem posita excindat, & in ignem mittat & ardet, heu! ardet æternum.

DOMI-

DOMINICA SEPTUAGESIMÆ.

Contractus DEI cum hominibus.

*Conventione facta cum operariis ex denario
diurno, misit eos in vineam. Matth. 20.*

Hominem animal sociabile qui definivit, tametsi ille in regulas bonæ definitionis peccavit apud Dialeticos; bene tamen à brutis animalibus eundem hominem discrevit: Nam licet illa societatis aliquam speciem præferant invicem pascendo, volando, ludendo, coabitando, &c. præcipuo tamen veræ & perfectæ societatis usu carent, qui in contractibus mutuis, stipulationibus, pactis & fæderibus, locationalibus, &c. principaliter consistit. Tolle commercia, tolle nociationes, tolle contractus, tolle pacta, tolle fædera, tolle stipulationes, quid aliud una quæque res publica nisi confusum quoddam chaos, & ferarum bestiarum fieri receptaculum, ubi nulla fides, nulla communicatio, amicitia nulla, ubi non nisi ex rapto vivatur, & non hospes ab hospite sit tutus? Per contractus & pacta homines in unum coivere, civitates & communitates, provincias constituere, matrimonia suscepere, unde humanum genus propagatur: est autem contractus: secundum Ulpianum: *Ultrò citrōque obligatio*; Non quasi ipse contractus obligatio sit formaliter, sed quod sit obligationis causa. Ulp. I. 9. de verb. sign.
 Alius apud Jure consultos dicitur *nominatus*, qui scilicet habet proprium nomen & speciem, ut emptio, venditio, &c. alias *innominatus* seu *anonymus*, quales sunt: *Do ut des; do ut facias; facio ut des; facio ut facias.* V. g. si Paulo des panem, ut tibi laborest, est contractus ejusmodi innominatus; si des pecuniam, est *conductio*. Conduxit & Deus (qui summe ad societatem cum hominibus propendet, ut dicat delicias suas esse Prov. 8. L. de præscript. verb. *cum filiis hominum*) conduxit, inquam, & Deus in hodierna E-

Ec

van-

vangelij parabola operarios ad laborandum in vinea sua , cum eisque contractum fecit , & alios quidem pecuniâ promissâ : Conventione factâ cum operariis ex denario , &c. alios in determinata mercede : Quod justum erit, inquiens, dabo vobis. At numquid non ceu supremus Dominus in omnes actiones hominis plenum jus habet? Quomodo ergo cum eo de pretio pacisci, eidemque se se ex justitia obligare potest ? Difficultatem hanc præsenti dictione enodabo.

§. I.

An homo sit capax cum D^Eo contrahere.

AD valorem contractus in jure civili requiritur rei, de qua contrahitur, perfectum dominium ejusdemque administratio; nec non perfecta plenâque libertas. Hinc à contrahendo excluduntur minorennes, & impuberis, pupilli & qui sub tutoribus & curatoribus sunt. L. 6. is cui bonis, ff. de verb, oblig. Item servi & mancipia, quibus nullius rei dominium competit, sed eorum omnia Domini sunt (intellige, quæ tamquam servi sibi comparârunt) qui etiam in eorum actiones & labores exigendos jus habet, ut scilicet eidem gratis & sine omni mercede laborent, quantum ipsi Domino libuerit. At quis magis servus, &, ut ita dicam, mancipium, quâm homo D^EO creatori & factori suo? Qui titulo creationis & absolutissimi Domini potest cum homine, utpote factura & creatura sua, disponere, ab eoque opera exigere, leges & præcepta eidem ponere, quæcunque ipsilibuerit. Sic dum per Moysen populo suo electo in monte sina leges ferret: Non facies fursum; non menti emini: Nec decipiet unusquisque proximum suum: Non perjurabis in nomine meo; nec pollues nomen D^EU*tui*, protinus subjecit: Ego Dominus, iterum: Non facies caluniam proximo tuo: Nec vi opprimes eum: non morabitur opus mercennarii tui apud te usque manè: non male dices surdo: nec coram caco pones offendiculum: Sed timebis Dominum D^EU*M*tuum

tum: quia ego sum Dominus. q.d. ideo vobis ista præcipio, quia sum Dominus vester & vos mei servi, qui postquam omnia feceritis, dicere debetis: Servi inutiles sumus; quod debuimus facere, fecimus; nullam omnino gratiam ex obsequio vestro mihi fecisse reputantes. Quod ipsum confirmat Christus in Evangelica parabola Domini & servi, ubi ait: *Quis vestrum habens servum arantem aut pascentem, qui regresso de agro dicat illi: statim transi, recumbe: & non dicat ei: para quod canem, & præcinge te & ministra mihi, donec manducem & bibam.* Numquid gratiam habet servo illi quia fecit quæ ei imperaverat? Non puto. Verum hæc intelligenda sunt de homine in purâ naturâ suâ considerato, in qua nihil omnino de condigno apud Deum mereri potest: Sic autem meretur ut habens gratiam habitualem, quæ est radix meriti & semen (ut Theologi vocant) gloria quam Deus promisit sedaturum justis in tuitu bonorum operum, restante ac dicente Apostolo: *Bonum certam encertavi, fidem servavi, in reliquo reposita est mihi corona justitiae, &c.* & Jacobi cap. 1. Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se. Juxta quam promissiōnem idem Deus debitorem se fecit homini ex justitia quasi commutativa, ut ait Augustinus: *Debitorem se fecit nobis, ut illi dicere possimus; redde quod promisisti, quia fecimus quod jussisti.* In eundem sensum loquitur & Chrysostomus, Fulgentius & alii Patres, ita scriptura sacra sæpius meminit pactorum Dei cum hominibus, ut Exod. 19. ubi egresso ex Ægypto Israële, postquam jam in formam Reip. redigi cœpit, dixit Deus: *Si audieritis vocem meam, & custodieritis pactum meum, (præcepta scilicet, quæ per Moysen in monte sina tradiderat) eritis mihi in peculium de cunctis populis.* Rursum Exod. 31. voluit observationem Sabbathi esse signum inter eum & populum in cunctis generationibus eorum; addens: *Pactum est semperiternum inter me & filios Israël.* Denique idem pactum renovat

novat Exod. 34. & Josue c. 1. Genesitem c. 15. *Pepigit Deus fadus cum Abraham.* Levit. 26. cum Jacob. Psalm. 131. cum David multisque aliis. Agnosce igitur ô homo dignitatem tuam, qui mancipium cum sis Dei, cum eo tamen pacisci & pro operibus tuis mercedem exigere tibi datum sit, quin abis quantotius in vineam ejus, ibi laboras, ibi fodis, palos terræ incutis, vites putas & alligas recepturus ipso diei vesper edenarium tui laboris non tantum condignum sed super effluens pretium?

§. II.

Pecunia omnis labor, quamvis arduus, venalis.

AEcce dum vastum mundi hujus forum circumspicio, vi-
deo ibi passim ad omne genus ministeriorum ac operum,
operarios conduci, invicemque pacisci & contrahere. Illic
per strepitos tympanis, sonantibus tibiis, clangentibus buc-
cinis, militaris unus aliquis centurio aut Tribunus argenteos
manu crepans adstantes allecat, ita ferè ad eos perorans: Eja
generosa pectora! cur vividas floridæ ætatis vires inertis desidiâ
flaccescere sinitis? Ad signa Martia convolate; hic stipendia
lauta, larga congiaria merete, hic divites prædæ, hic opima de
hoste spolia, hic ampla gloriae & honorum decora vos manent,
arma, arma, arma viri! Parte alia fori procedit opulentissimus
dam Domini Oeconomus, crumenam & ipse nummis turgi-
dam manu præferens, & in turmam otiosæ plebis forte inci-
dens; heus, inquit, vos, ut quid otio istic torpetis? si pecuniam
emererianimus est, Domino meo operam vestram locate, qui
cà in re oeconomica multifariam opus habet, sive ad custo-
diam pecoris, sive ad excolendos agros, sive ad metendas & col-
ligendas fruges, sive ad ligna cædenda, sive ad frangenda saxa,
sive ad convehenda cæmenta & lapides erigendis fabricis &
alia hujusmodi opera. Rursus hinc inde varios artifices & me-
chanicos video, merces suas fictiles, ligneas, ferreas, cupreas,
stan-

stanneas, item pannos, pelles, telas, calceamenta, &c. manuum suarum labores ac sudores venum exponentes, quibus conficiendis diebus noctib[us]que insudarunt pecuniae columnmodo obtinendae spe, hanc præ omni labore, incommodis, &c., quod manibus super induxerunt, callo appetiantes. Ea nimisrum pecuniae est cupiditas, ea vis, ut nullus tam gravis, tam arduus labor sit, quem non vel cum valetudinis detimento vitæque etiam periculo quovis Oratore potentius & efficacius persuadeat assumendum. O! quot, dum præaltae turres conscentdunt & super eas quasi volitant, dum super tecta sublimiaque theatra cursitant, ex alto præcipites cervices fregere! Quot metalli fossores, dum in profundo & in ipsis terræ visceribus auræ argentive glebas quaerunt ac eruunt, ab ipsis illis glebis obruti & sepulti sunt! Quot urinatores, dum in maris imo margaritas & corallia legunt, aquis suffocati & hausti! Quot messores, dum ardente cœlo fruges metunt, nimio æstu ac siti contabuerunt! Viennæ austriæ nonnemo repertus fuit, qui ceu alter Dædalus fabricatis sibi alis per nescio quæ libramenta è turri S. Stephanij de misit se se, exitu sibi cum primis funesto; nam instar facci, uti dicimus in humum prolapsus quasi in frustra disiliit. Quid huic volatum istum tam pericolosum persuasit & eloquentissima pecunia.

Pater quidam nostræ Societatis Pragæ referebat, hominem in eadem secum navi, dum mare na vigaret, fuisse, qui unius floreni mercede proposita iterato in mare demerserit se se, undet tandem non emersit, creditum erat, à pisce aliquo devoratum, eò quod illic loci, ubi insilierat, aqua sanguinea appaquerit. Quid subterraneis specubus & cryptis horridius? Quid periculosius? & tamen & illuc ut ingredenterit nonnullis persuasit facunda pecunia. Serabit Rhenanus, pauperem in summa annonæ difficultate Augustæ Rauracorum cryptam subiisse spe inveniendæ pecuniae; verum ultrò citroque frustra vagatum incidisse tandem in mortuorum ossa, & vehementer

Rhen. I. 3.
rer. Germ.

attonitum ac stupefactum veluti exanimem concidisse; recollectis tamen utcunque viribus vix cryptâ egressum tertio post die exspirasse. Horribilis memorat Cardanus, quod Norimbergæ 1530. accidit: Dæmon illic cuidam thesauros certò loco latentes in crystallo ostenderat. Hos ergo cum ille quæreret, adhibito amico spectatore, ad specum devenit; ubi diives arca prostatbat, quam ater canis custodiebat. Cerberus haud dubie tartareus fuit trina vasto capita concutiens sono, cuius ordidum tabo caput lambeant colubræ; viperis horrent juba, longisque torta, sibilat caudâ draco. Hoc tamen terrifico aspetto nihil territus in interiora antri penetrat se se, quo vix ingressus à ruente specus cacumine opponitur in ibique concluditur. O quo non mortalia pectora cogis? Quid non persuades auri argenteive sacra (i. e. per antiphrasim execranda) famas? in tantum enim (Alani verbis utor) incandisti, ut dialecticæ muta sit subtilitas, Rhetoricæ languescat civilitas, ubi numerorum percerat pluralitas. Nec abs re pronuntiassè dixerim Timotheum Philosophum, qui pecuniam, animam sanguinemque mortalibus esse dicebat, utpote cuius amore ac studio vitas suas venum exponant.

§. III.

Mundus infra, Deus ultra condignum suis operariis solvit.

Matth. 16.

Ecclæ. I.

Matth. 20.

Psal. 8.

AT quam accipit commutationem homo pro anima sive vita sua sic exposita? Quid habet amplius de universo labore suo, quod laborat sub sole, & portat pondus diei est us? Mercedem sane perexiguam & exilem. Si rerum pretia ex natura objecti & causarum, à quibus procedunt, excellentia & stimari debent, quanto non pretiosior auro erit labor hominis, qui creaturarum omnium, secundum Angelos, excellentissimus, earumque Princeps a Deo constitutus est. Omnia subiectissima sub pedibus ejus Psal. 9. Et tamen quantum accipit? Vix centesimam,

resimam, pro eo quod meruit, partem : *Usura enim mundi centum ad unum*, ait D. Chrysologus ; q. vellet dicere hunc esse Chrysol.
 mundi genium, ut non tantum non solvat, quod condignum est, sed simplus duntaxat centuplum sibi metrerinens. Rogemus, si ita libet, operarios sero vespero ex labore diurno domum reduces, sudoreque ita madefactos, veluti si balneo se se proluissent, rogermus inquam, quid opera suæ pretii, quid mercedis pro labore tanto referant; respondebit aliis ex alio : Quindecim, duodecim, decem, septem, quinque, vel etiam pauciores nummos cruciatos seu cruciferos. Per nummos cruciatos moraliter hic intelligo mundi bona, quæ in pecuniis & opibus, in voluptatibus & deliciis corporeis plerumque sita sunt, hæc idcirco sic appellaverim, quia sicut nummi cruciatæ ferè postremi valoris in re nummaria censentur, & vix modicum panis pro uno illorum emitur; ita carnalium voluptatum premium usque adeo exile est, ut (quod Salomon ait) vix unius sit panis; vel, ut Hippomensis Doctor legit, vix dimidium panis; Prov. 5. vel, ut Hebreus; vix frustum panis, quod uni operario satiando per diem nequaquam sufficit: Imò nè hoc quidem refractarius ille adolescentis Evangelicus habere potuit, ubi se servitiis mundi, relicto Patre, addixit : *Cupiebat enim saturari vel sili-* Luc. 15. *quis, quas porci (quorum custos erat) manducabant, & nemo illi dabant.* Divitias cruce signatas, & non tam cruciatas quam cruciantes aperte docuit D. Chrysostomus, cum dixit : *Divitiae sunt tortore acerbiores : tortor enim corpus vincit, divitiae animum vincunt.* Et alibi : *Quod furenti gladius est, hoc cuperido divitiarum ; immo vero longe acerbius quiddam, nam is, qui furit, accepto & adacto sibi gladio, furore se se liberat, & alteram plagam non accipit, cupidus vero dena millena vulnera graviora quotidie accipit ; non liberans se se furore, sed intensorem eum efficiens.* Quocirca sigismundus Imperator, dum ei ex Ungaria quadraginta millia ducatorum allata fuissent, quæ ubi nocte adventante, in quos converteret usus folcite cogitaret

Chrysost. in
Psal. 48.

L. de avarit.
Tom. 5.

Aeneas.

Sylv. 9. l. 4.

comment.

10. Alphon.

taret, per cubiculares ocyus consiliarios omnes ac militum Duces ad se vocavit, & apertâ arcâ; ecce, ait (vim illam aurio-
stendens) crudelissimi hostes ac carnifices somnum mihi eri-
puerunt: Accipite, & inter vos dividite, ut mihi tranquillè dor-
mire liceat. Distributâ itaque pecuniâ inter eos , postquam
abiissent, suis dixit: Jam recessit à me carnifex ille , qui me cru-
ciavit; nunc securius quiescam. Atque hoc est, quod sacer ce-
cinit Ecclesiastes : *Saturitas divitis non sinit eum dormire, sa-*

*Hugo. Card turitas , i. e. ut explicat Hugo Cardinalis, plenitudo marsupi-
Property, l. 3. rum & horreorum, hoc est quod cecinit Propertius:*

Ergo sollicita tu causa pecunia vita es,

Per te immaturum mortis adimus iter.

Tu vitiis hominum crudelia pabula præbes,

Semina curarum de capite orta tuo.

Et hæc sunt mundi pretia , hæc stipendia, hæc merces, pro qua
tantopere à multis laboratur, sudatur, certatur, pugnatur, cur-
ritur. Quid è contrario Deus ? ô quam larga , quam copiosa
apud eum retributio ! Qui non pro diurno tantum, sed vel u-
nius horulæ labore denarium rependit: *Cum venissent*, ait E-
vangelista Matthæus, *qui circa undecimam horam venerant*
(ad laborandum in vinea) acceperunt singulos denarios. De-
narius apud Judæos idem valebat quod drachma , eratque
nummus censualis, qualem Christus sibi exhiberi petiit Mat-
thæi 22. *Ostendite mihi numisma censūs*, at illi obtulerunt ei
denarium: Idem denarius Matth. 17. vocatur drachma, ubi
Publicani à Christo transeunte censem exigentes dicebant dis-
cipulis: Magister vester non soluit didrachma , i. e. duas drach-
mas sive duos denarios, qui Romanis ex capite, ut vocamus,
annuè tributi locò pendeabantur. Aequivalet drachma, Budæo
teste, tribus solidis Turonensisibus, h. e. imperialibus Germani-
cis duobus. Apud Romanos decem asses, seu quatuor fester-
tia continebat, valet autem festerium sequi tertium assēm, ita
ut quatuor festeria efficiant asses decem, sive totidem libras

Matth. 22.

Matth. 17.

Bud. de re
num.

xris,

æris, decies sestertium (quem numerum literis S. signabant) vetere computo valebat viginti quinque millia coronatorum. Hodie apud nos circumferuntur denarii aurei decem ducatos appendentes, quos Portugallenses vocamus. Duplones hujusmodi cudi fecit Carolus Quintus, pretio videlicet aureorum viginti, quos in nuptiis, quas cum Isabella sponsa celebravit, ad ostendendam magnificentiam suam distribuit, alterâ facie suam, suæque spôniæ effigiem exprimentes; alterâ Cæsarea insignia. Verum omnes hi nummi oboli sunt respectu monetæ & denariorum, quos in sua monetaria cudit quibusque soluit Magnus Deus, hi enim non decies sestertium, non viginti aut centum millia coronatorum aut ducatorum, sed totos miliones continent, imò regna tota pretio suo longè excedunt, teste Cardinali Bellarmino, cuius hæc subjicio verba, Regnum ^{Bellarmino, de} cœlorum vocatur denarius, adeo pretiosus, ut regnum merito ^{cælo,} appellari possit.

§. IV.

Pauci cum DEO, plures cum mundo contrahunt.

Hoc tantum tamque immensum regnum parvo venale idem Deus proponit apud Divum Augustinum ita disse- Aug. in rens: *Venale est quod habeo; tibi eme.* Illud quid habet vena- Psal. 92. le? *Requiem, Regnum.* *Quantum valet?* eterna requies a eterno labore emenda erat. Sed qualis misericordia D E I? Non dicit, decies centena millia annorum labora; non dicit, vel mille annos labora: Sed cùm vivis, labora; paucis annis, inde jam requies erit, & finem non habebit. Et tamen (queritur divus Chrysologus) tam parvo licet tantas merces suas D E U S æsti- Chrysolog. met ac liceat, homines nolunt cum Deo habere contractum. Et Thomas Kempensis: *Pro modica præbenda longa via curritur;* Kempens. *pro aeterna vita vix pes à multis levatur.* Quantum cunque de immitat. per suas inspirationes, quasi per quosdam internuntios, corda Christ.

Ff

multo-

Luc. 23.

multorum circumeat DEUS, quantumcumque cum eis pascatur, & clamet; ite in vineam meam: Ecce ego, si mihi laboraveritis, dispono vobis Regnum; parum aut nihil proficit; respondent illi: jam alias nos conduxit, qui paratâ pecuniâ soluit, & non differt in nescio quam longam ætatem. Quid nobis cum futuris? De praesenti gaudet Ecclesia. Sed Ecclesia malig-

Psal. 25.

nantium, de qua Psalmista: Odivi, inquit, Ecclesiam malignantium; eorum scilicet, qui cum mundo usurario inquisitimo, & quem in maligno totum positum describit ocellus Domini, quam cum D E O Domino liberalissimo, & qui unum accipit à centum, teste iterum Chrysologo, malunt habere

Chrysol.

commertium: Dæmone ipso odibiliores, qui non dubitavit ex ore energumeni aliquando profiteri, si ei spes in cœlum, unde excidit, regrediendi daretur, fore, ut illuc per columnam novaculis & cultris undique prætentam repereret, tametsi millies in assumpto corpore lacerari deberet. At non talia à nobis exiguntur, faciliori labore cœlum lucrari possumus: Jugum

Matth. 11.

enim meum suave, & onus meum leve est, ait Christus. Quod illud jugum, quod onus, quis labor? Declina à malo, & fac bonum. Et: Si vis ad vitam ingredi, serva mandata, quæ gra-

Matth. 19.

via non sunt. Imò verò, dicetis, hoc ipsum gravissimum jugum, hic labor, hoc opus est viribus humanis majus, & supra naturam: Super naturale enim opus sit oportet, ut fiat de condigno meritorium regni cœlestis vitæque æternæ. An non,

Johan. 14.

ipsâ scripturâ teste, sensus & cogitatio cordis humani ad malum prona est ab adolescentia sua? Passiones multæ dominantur in nobis; in alio prævalet passio iræ, amoris in alio; hic odio, ille cupiditate gulæ incensus est; ille timore, alijs libidine laboret, quibus obsistere, & contra naturam obluctari sine speciali Dei auxilio quis valeat? Sed bone vir, quisquis ejusmodi es, licet mihi unum ex te querere: Num si tibi aliquis centum aureos proponeret, ea conditione, ut te vel à lascivia, vel cholera, vel ab ebrietate, vel à blasphemia, vel à vindicta, vel ab alio quoli-

Gen. 3.

quolibet vitio contineres; num, inquam, tu in simili occasione
impossibile id tibi duceres? & non potius amore pecuniae ten-
tationibus ac motibus quibuscumque ad malum te incitantibus
omnimodis resisteres? Imò nec centum aureis opus esset: ex
uno credo, floreno conventionem talem acceptares. Exem-
plum in simili describit celebris Ecclesiastes ex nostra Societate Henr. Engl.
Grav.
de milite in obsidione Ostendana. Hic perjuriis ac blasphemias
itā consueverat, ut ad singula verba, ut ille ait, unum Diabolum
infarciret. Sæpe monitus respondit, adeò jam consuetudini-
nem inyeteratam, ut si videret Tartarum præ oculis apertum
desistere nequiret, ad extremam penuriam & famem redactus
petiit eleemosynam ab uno è Patribus nostris castris, qui
solitus erat stipem pro militibus erogare. Sed dum Pater illi
eleemosynam denegaret, dicens, hominem adeò perjurum ac
blasphemum à D E O & hominibus destituendum, respondit
miles, se omnino dolere de pravo illo habitu jam itā inveterato,
ut eum exuere nullo pacto possit, quod ut manifesto falsum es-
se, & à sola ejus voluntate resipiscientiam pendere Sacerdos
comprobaret, ingentem numum aureum illi exhibuit, adpro-
mittens se eum dono daturum, modò per horam sequatur
castra ac militum stationes lustrando citra ullum juramen-
tum, acceptat conditionem, & ecce per transennam à sociis
variè impetratur, irritatur, lacescit. Pater pergit, aureum ad
hos insultus ostentans; lacescitus filet, linguam dentibus præ-
mit, obmutescit; acceptoque in victoriæ pretium aureum, con-
suetudinem illam pravam deinceps non resumpsit. Si ego vel
alius quispiam simili ad emendandos perversos hominum mo-
res medio hodie uterer, quam multos ad tribunal sacrum acce-
dentes & arridentes haberemus! quam angusti templi parietes
hominibus capiendis forent! si cuiilibet illuc ingredienti unus
promitteretur aureus; non ille frigus, non humi flectere, non
cereras, si quæ tamen esse possunt, molestias pensi faceret, mo-
dò aureo potiri ei liceret. Ecce, auditores, lutum terrestre &

glebā ruffa opera non solum naturalia, sed & supernaturalia a-deo reddit facilia; quid igitur causæ est, quod idem in multis non operetur cælestis & æterna proposita merces? Unico actu etiam remississimo cujuscunque virtutis supernaturalis, unâ auditione sacri, unâ eleemosynâ, unâ recitatione dominicæ orationis, *Pater noster*, uno poculo aquæ frigidæ & grotanti porreto, lucrari longè plus possumus, quam valeat totum regnum Hispaniarum:

Matth. 10.

Quicunque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ, amen dico vobis non perdet mercedem suam,

1. Pet. 5.

protestatur divina veritas; mercedem non qualemcumque, non temporalem, non unius aurei, sed æternam, in cor-

2. Tim. 1.

ruptibilem & immarcescibilem, & bene ait, non perdet, utpote conservatam in cælis apud fidelissimum depositarium ipsum

Augustin.

Deum, de quo Paulus: Scio, inquit, cui credidi, & certus sum quia potens est depositum meum servare in illum diem, quo scilicet unicuique reddetur quod suum est.

Unde rametsi in præsenti vita nihil accipis ô! homo, securus tamen esto, hortatur D. Augustinus, irritus est, inter te & Deum, bona fidei contractus.

Joan. 8.

Causam ego non aliam, cur minus tanta merces à multis æstimetur, dixerim, quam quod ab alio prius conducti sint ac à Deo quis ille qui conduxit?

Matth. 6.

Hic unusquisque secundum dispiciat, cui serviat, cui laboret. Illum conduxit superbia, aliud avaritia, hunc luxuria, istum gula, alium iracundia, alium aliud

Rom. 6.

ex alio peccatum; nam qui facit peccatum (ait iterum divina veritas) servus est peccati, & operarius Diaboli; nemo autem

2. Reg. 5.

pote est duobus dominis servire. Sed quisquis ita servis, considera, amabo, de quali mercede & stipendio conveneris.

Stipendia peccati mors, docet Apostolus: Proh qualia stipendia!

Tale stipendum accepit adolescens ille Amalecites, qui cum propter occisum Regem Israël Saulem nescio quot argenteos à

Davide se reportaturum speraret, retulit mortem. Dixit enim ei David: Quare non timuisti mittere manum tuam, ut

occideres Christum Domini? Et continuo vocans unum de pue-

ris

ris sui ait; accedens irrueret in eum, qui percussit eum, & mortuus est. Idem accidit duobus aliis Rechab & Baana, qui occiderunt filium Jonathæ ex stirpe Saulis quos pro mercede David Isbosethum jussit interimi. Tale stipendium luxuriæ suæ retulerunt proci ac lenones sanguinariæ Reginæ Angliæ Elisabeth, quos illa singulos neci dabat. Tale stipendium suæ ebrietatis retulit Holofernes à Judith decollatus: & nonnullos ipse novi, qui temulenti, fallente vestigio, ex alto ruentis, aut in foveam lapsi cervices fregere. Tale stipendium recepit civis non nemo Constantinopolitan. Qui Machometi Turcarum Soldano Anno 1453. urbem Constantinopolim prodidit, cui loco tonnæ auri, quod ei promissum fuerat, pellis vivo detracta. Tale superbiæ suæ stipendium meruit Aman, patibulum videlicet Cuspiu. in Constant. quinquaginta cubitos altum, quod innocentii Mardochæo præraverat. In fabulis est, quemdam Principem aureosnumos: Esth. 7. cuditæ quos verbera appellavit; talenta vero aurea furcarum nomine vocabat. Unde cum remunerare quempiam de se bene meritum veller, dicere solebat: Huic tribuite mille verbera, alteri quatuor furcas. Eiusmodi non jam furcis verberibusque duntaxat signatos numos sed ipsas revera furcas, rotas verbera, gladios, mundus habet, quibus de se bene meritis consuevit solvere; cuiusmodi solutionem percipiunt communiter fures, homicidæ & latrones, proditores, malefici & benefici, qui licite queri & expostulare cum mundo quasi in ipsos injurio nequaquam possunt; statim enim reponet unicuique illorum: Amice, non facio tibi injuriam: Nonne ex talis stipendio convenisti mecum? Nonne audisti tibi prælegi: Si male egerris, recipies verbera furcam, rotam, gladium? Et statim in foribus peccatum tuum vindex aderit. Tolle ergo quod tuum est, & vade: Supplicium est non tam poena, quam merces peccati, & urinam temporale duntaxat, quod multis tanquam proficuum optabile est: æternum ipse DEUS comminatur, Matth. 25. cum dicit: Ibunt, qui mala egerint, in supplicium æternum, iusti & contrario, qui bona egerint, in vitam æternam?

DOMINICA SEXAGESIMÆ.

Quinam aures audiendi & quinam
aures videndi Dei verbi habeant.

Qui habet aures, audiendi, audiat. Luc. 8.

SApientissimus hominis conditor cùm ejus animæ tres nobilissimas potentias, memoriam, intellectum, voluntatem indidisset; memoriam quâ res præteritas & absentes rememoraret; intellectum, quo de rebus judicaret earumque naturas dignosceret, ac discerneret inter bonum & malum; voluntatem, quâ illud appeteret, hoc détestaretur: quinque insuper alias sensuales potentias in ejusdem corpore ita distinxit, ut unaquæque proprium suum, in quod feratur, habeat objectum, sic potentia visus in solos colores ac in lucem fertur, potentia auditiva solum percipit sonum, olfactiva odores, gustativa sapores ut dulcorem, amarorem, acorem; tactus denique duritiem & mollitiem, ac primas qualitates frigus, calorem, humiditatem, siccitatem. Hinc visu audire, & contrâ auditu videre, olfactu sapere, gustu vel tactu odorare impossibile omnino est. Quid igitur est, quod in hodierno Evangelio idem ille sapientissimus Conditor extraordinario sibi que in usitato clamore ad circumstantes sibi que auscultantes turbas inclamat: *Qui habet aures audiendi, audiat?* Numquid non aures omnibus erant? Et si erant ad quid aliud nisi ad audiendum? Verum, inquit Theophylactus, multi aures habent, sed non ad audiendum; propterea ait Christus: *Qui habet aures audiendi, audiat.* Quin imò, teste Augustino, surdos multos (tametsi aures habentes) Dominus ante oculos suos intuebatur, cùm diceret: *Qui habet aures audiendi, audiat:* Paradoxum hoc præsenti dictione explanabo, ubi docuero qualesnam aures ad audiendum Dei verbum requirantur, & quinam sint qui illud

Theoph. in Marth.

Aug. serm. 18. de verb. Dom.

Illud auribus suis non tam audiant, quam videant & speculentur.

§. I.

Quanam sint illæ aures audiendi verbum Dei.

Duplices homini aures esse, alias exteriore potentiæ auditivæ capiti utrinque annexas veluti geminas ansas, aut veri duos canales, quibus hauritur sonus, unde nonnulli aurum etymon sumunt; alias interiores cordis perspicuum est, aut si cuiquam dubium, cor aperiat & anatomizet deprehenditque in eo geminas cavitates auriculorum speciem ac figuram referentes. Inciderit has, credo, natura cordi, ut indicaret, quæ exterioribus hauriuntur auribus verba, per canales illos in cor quodammodo demitti, atque defluere. Et sanè nisi hoc auritum foret, quomodo alter ad cor alterius loqui possemus? Quid enim usitatus hâc Phrasí: loquar tibi ad cor? Qua etiam D E U S ipse in Scripturis non raro uritur, ut cùm dicit: *Ducam eam (Synagogam) in solitudinem, & loquar ad cor ejus.* Ruth. quoque Moabitis ad Booz ait: *Inveni gratiam apud oculos tuos, quia consolatus es me, & locutus es ad cor ancillæ tuae.* Porro ad cor loqui aliud nihil significat, quam ad affectum & ea cum efficacia loqui, ut cor affectuum sedes moveatur & infleatur ad amplectendum illud bonum, ad quod loquentis oratione excitarur, & ad detestandum aversandumque illud malum, de quo reprehenditur. Et tales aures Christum à suis auditoribus requisivisse docet S. Gregorius, dum ait: *Omnis, qui illuc aderant, aures corporis habebant; sed qui cunctis aures habentibus dicit: Qui habet aures audiendi, audiatur; aures procul dubio cordis requirit.* Cujusmodi erant Sanctissimæ ejus Mater, de qua dicunt Evangelistæ, quod omnia verba, quæ à Filio audivit, conservaverit in corde suo Luc. 2. Et Mater ejus conservabat omnia verba hæc in corde suo; alibi autem idem Evangelista addit, Tò conferens; conservabat omnia verba hæc confe-

*Osce. 2.
Ruth. 2.*

*Greg. hom.
15. in E-
vang.*

conferens in corde suo, id est rememorans ac recogitans, quem fructum ex illis capere, & quomodo proficeret. Tunc enim fructuosè verbum Dei auditur, cùm in corde seu mente retinetur & recogitur, ut ait iterum Gregorius, monens : *Verba qua aure percipitis, mente retinete : Cibus enim mentis est sermo Dei, & quasi acceptus cibus stomacho languente rejicitur, quando auditus sermo in ventre mentis non tenetur.* Quare ut retineatur, acceptò DEI verbō velum cordi oppandum est, quemadmodum oppandimus rebus pretiosis & caris, nè quorumlibet oculis ac direptioni pateant ; sagaciter enim circumvolat infernalis Harpyia Diabolus, ut illud de cordibus nostris tollat & rapiat, ut ipse Christus in apodosi hodiernæ parabolæ contestatur, dicens : *Semen est verbum Dei.* Quod autem secus viam : hi sunt, qui audiunt, deinde venit Diabolus, & tollit verbum de corde eorum, ne credentes salvi fiant. Sic concionante aliquando S. Antonio de Padua præsens nobilis domina avidè verbum DEI audiebat. Quod cùm non ferret nequissimus impostor, ut fructum concionis de corde ejus tolleret, tabellarii speciem preferens ad eam cum literis venit, nunciatque filium ab hostibus captum & interfectum, eas maligni hostis versutias spiritu cognoscens Vir Dei (nam corporeis oculis de ejus filio percepérat) coram omnibus dixit : *Nihil timemas Domina, filius tuus & vivit, & recte valer, quibus dictis Dæmon disparuit, & mulier quâ cœperat aviditate & attentione verbum Dei audire perrexit, aures suas revelans Deo, occludens & obducens Dæmoni.* In scripturis divinis persæpe DEUS dicitur nonnullis revelasse & aperuisse aures, quoties ad eorum cor loqui volebat, uti Isaiae Prophetæ qui c. 50. de se testatur : *Dominus aperuit mihi aurem, & ego non contradixi,* id est statim dicto audiens fui, dicens : *Ecce ego mitte me.* Job. 39. ait Eliud : *Revelabit aurem eorum (Regum) ut corripiat.* 1. Reg. 9. Dominus revelaverat auriculam Samuelis, ubi Gregorius subtiliter investigat, cur non auris, sed diminutive auricula

Greg. sup.

In vita S.
Aat. c. 29.

Ilf. 50.

Job. 39.

ricula vocetur, & more suo moralizans per eam intelligit humilem intelligentiam, & cor attentum ad excipiendum Dei verbum: *Auricula Samuelis, quia diminutive dicitur, quid designat, nisi humilem intelligentiam Doctoris spiritualis?* *Auricula ergo revelatur a Domino, quando humili intelligentia Prædicatoris a spiritu sancto instruitur, ut quæ facturus est audiat, & audita disponat.* Auriculam Samuelis habebat magnus ille Eremitarum Pater Antonius, qui adolescens Ecclesiam ingressus cum ex Evangelio legi audisset: *Si vis perfectus esse, vade* Matth. 19.
& vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, tanquam ea sibi dicta essent, sic verbo Dei ait obtemperandum existimavit, ut venditâ re familiari pecuniam omnem pauperibus distribuerit. Auriculam Samuelis habebat S. Nicolaus Tolentinas, qui cum forte concionatorem ordinis Eremitarum S. Augustini de mundi contemptu dicentem audivisset, eo sermone inflammatus, statim eundem ordinem est ingressus. Auriculam Samuelis habebat S. Franciscus Assisinas, qui cum auribus percepisset illud Evangelicum: *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, extemplò sibi eam regulam sequendam proposuit: à quo non ablusi virtutibus clarissima soror ejus Diva Clara, quæ noverat (ut de illa testatur Surius) de cuiuslibet prædicantis concione elicere quod animæ prodeisset.* Auriculam item Samuelis habebat Babylas quidam Tharsi Ciliciæ, mimus professione, & magus, vir flagitosissimus, duas concubinas domi suæ retinens, & multa pro Dæmonis arbitrio, quo utebatur familiariter, sive cum eo, sive cum aliis nefariè transfigens. Ingressus quodam die Ecclesiam, auditóque Evangelio, quod ad pœnitentiam hortatur; Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum celorum, ita conpunktus est, ut redierit domum, & suis concubinis; Quòd, inquit, amore, quam æquabili utramque complexus sum, sat superque animadvertisisti; jam mutatus aliud de rebus meis cogor statuere: *Quæcumque labore consecutus sum, per me* Matth. 10.

Sophron. in cert (jam monachus sio) accipite. Illæ oratione hujus pér-
motæ responderunt cum lacrymis: Et nos in flagitiis tibi sociæ
suimus, erimus & poenitentiaæ. Omnibus ergo in pauperes
erogatis, incorruptè deinceps, castè sanctèque vixerunt. Hunc
Babylam antiquus auctor Joannes Moschus dicit se vidisse, ve-
nerabilem, modestum, & clementissimum virum; imò (addo
ego ex Augustino) beatissimum: Ille siquidem, inquit is, bea-
tissimus est, qui divinas scripturas vertit in opera, & audita Dei
verba in facta recta commutat.

Aug. 112.
de temp.

Cælius.
Rhod. I. 3.
c. 29. Ant.
lect. Act. 7.

§. II.

Quæ sint aures incircumcisæ.

AT sunt vice versa complures, qui non humilem auriculam
ad excipiendum Dei verbum, sed aures prægrandes & pla-
nè monstrosas habent, quales Antiquarius Scriptor describit
in populis & gentibus nonnullis (Fanesios sive Satmolos Pom-
ponius Mela vocat) quæ in tantum excreverant, ut totum cor-
pus vestrum in modum iis contegant. Quis non aures ejus-
modi incircumcisæ dixerit, cujusmodi Judæis in faciem ex-
probravit S. Stephanus: *Dura cervice & incircumcisæ cordi-
bus & auribus?* Et quæ illæ aures incircumcisæ? Obstinatae vi-
delicet & pelle infidelitatis ac nequitia obductæ, quasi dixisset
Zelosus Prædicator: Vos, Judæi, estis rebelles & obstinati, qui
cor & aures pellicula infidelitatis obductas habetis, ut credere
non possitis, & audientes non audire, quia pelliculam illam cir-
cumcidere & auferre non vultis. His consimiles existimo
Christianos illos, qui planè incircumcisæ auribus & cordibus
sacras conciones adeunt, dum eas sine ulla attentione & animi
præparatione audiunt, imò audientes non audiunt, quin ma-
gis prædicanti obstrepunt, & circumstantibus non levi scanda-
lo sunt inconditè confabulando, Epistolas lectirando oculos
per hos & illas jaciendo, colludendo, corridendo, &c. & sic pre-
ciosum Dei verbum (quod apud illos verè secus viam & secus
aures

aures cadit) conculcando, non minus in eo sacrilegi, quam si ipsum dominicum corpus conculcarent, non meus iste sensus, sed magni Augustini est, qui non dubitavit dicere : *Non minus Aug. hom.
reus erit, qui verbum Dei negligenter audierit, quam ille, qui 26.inExod.
Corpus Christi in terram cadere sed negligenter permiserit.*

Sunt præterea auditores alii, qui cum sint incircumcisus
ipsum auribus, prædicatores ejusmodi querunt, qui incir-
cumcisus labiis ad eos loquantur : Qualibus ad Pharaonem de-
trectavit loqui Moyses ; cum enim ad prædicandum ei divini-
tus mitteretur, hisce se excusabat verbis : *Ecce filii Israël non Exodus 6.
audiunt me, & quomodo audiet Pharaō, præsertim cum incir-
cumcisus sim labiis?* Pro quibus ultimis verbis Divus Augusti-
nus Septuaginta Interpretes secutus ita legit : *Ecce ego gracili
voce sum, & quomodo exaudiet me Pharaō?* Sed quæ tua hæc
excusatio Moyses sancte ? Ut quid gracilitatem vocis obtendis,
quam non obtendebas, dum ad universum populum Israël
mittebaris ? An existimas unum Regem inconditis clamori-
bus adeundum ? Quæ tua hæc erit urbanitas, qui in regia à pue-
ro enutritus, ignorare non potes, cum Rege potius humili &
gracili voce, quam elata & clamosa loquendum ? Ita quidem
(responderet Moyses) gracilitate vocis Pharaoni placerem ;
verum, ubi obsurdescunt filiae carminis, eloquenti rhetorica & Ecclesiastes 12.
voce tonitrui utendum est. Filias carminis appellat Sacer
Ecclesiastes aures peccatorum & in malo obduratorum, eò
quod audiendis carminibus & fabulis addictæ sint; at verò mo-
nitiones fastidian, consilia non attendant, ad objurgationes
& reprehensiones obsurdescant, secundum illud Pauli : *Erunt,*
qui sanam Doctrinam non sustinebunt; sed ad sua desideria co-
ceruabunt sibi magistros prurientes auribus, & incircumcisos
labiis: Et à veritate quidem auditum avertent, ad fabulas au-
tem convertentur; Quemadmodum illi in quos acriter inve-
hitur Iсаias : *Qui dicunt, inquit, videntibus, id est Prophetis: Ia. c. 50.
Nolite videre, & afficienibus: nolite aspicere nobis ea, quare-*

Fran. Men-
dos. *cta sunt : loquimini nobis placentia, videte nobis errores. Quæ
potest par impietas excogitari, exclamat hic non nemo ! non
solum veras monitiones fastidiunt, sed etiam falsas adulatio-
nes extorquere volunt. Loquimini nobis placentia, & (quod
Pius II. Pontifex de aulicis ad Ferrariae ducem scripsit) inter*

Petrus de
Gregor in
præm.
Io. de con-
cess. frud.
*Laudum & Placentiam, non autem Veronam versus in con-
cionando ambulate : loquimini nobis fabulas & carmina , lau-
des & blandimenta, non sic veritatem, quæ odium parit; imò
volunt ipsum Propheticum lumen, si fieri posset, obscurare.
Nolite aspicere quæ recta sunt, nè ipsi è suis voluptatum tenebris
exire compellantur. Volunt insuper veritatem Propheticam,
quod fieri non potest, à vero aberrare; videte nobis errores, nè
ipsi è suis scelerum erroribus per Propheticas monitiones ex-
trahantur.]*

Psal. 57. *De ejusmodi Psaltes regius differens ità im-
precatur : Furor illis secundum similitudinem serpentis, sicut a-
spidis surda, & obturantis aures suas, quæ non exaudiet vocem
incantantium, & benefici incantantis sapienter. Incantant
sapienter sanè imò sapientissimè, prædicatores divini verbi,*

2. Tim. 4. *corda peccatorum, dum, juxta monitum Apostoli datum Ti-
mordeo, instant opportune, importunè, de peccatis arguunt,
increpant obsecrant, ut pœnitentiam agant, clamant & quasi*

Isa. 58. *tuba exaltant vocem suam, annuntiantes iram & flagella iræ
DEI impenitentibus, inferorum supplicia & rogos inextin-
guibiles comminantes, quemadmodum annuntiabat, & com-
minabatur Divus Cæsarius Arelatensis, qui cùm advertisset au-
ditores suos, lecto Evangelio, Ecclesiæ eggredi, quòd Sancti &
Zelosi viri conciones audire detrectarent, ad eos conversus sic
appellat : Quid facitis filii ? quid ità foras absceditis mala per-
suasione subversi ? State pro animabus vestris ad accipienda
verba adhortationis nostræ, eaque auscultate solliciti, non lice-
bit id vobis in illo tremendi judicii die, moneo, clamo atque
contestor ; nè sitis obsecro, vel surdi vel profugi, auditis oris
mei buccinam, perinde ac si animas vestras suo mucrone Satan
jugu-*

jugulârit, non ego taciturnitatis arguar. At quâ multi sunt,
 qui ad ejusmodi sapientes incantationes more serpentum (quâ
 appellatione peccatores compellat Christi præco Joannes : *Luc. 3.*
Serpentes genima viperarum, &c.) more, inquam, serpen-
 tum aurium alteram terræ applicant, alteram caudâ obtegunt!
 hoc est, ut explicat Hugo Cardinalis terrenorum & volupta-
 tum amore, à quibus abstrahi nolunt, utpote quarum, veluti
 Sirenum, carminibus (quibus aures suas filias carminis, avidè
 præbere solebant) toti jam ante excantati; quæ sunt Sirenes
 illæ de quibus Isaias : *Respondebunt ibi Sirenes in delubris volup-*
tatis; vel, ut Vatablus vertit, in palatis voluptatis. Ferè enim,
 qui in ejusmodi palatiis versantur, veritati aures obseptas ha-
 bent, uti ille idololatricus Imperator Caus, qui in humili adhuc
 loco & statu constitutus benevolas suis monitoribus aures da-
 bat; ubi ad arcem Imperioriam evasit, superbas & iracundas,
 unde Macronem, quo apud Tiberium laudatoreusus fuerat,
 cùm adhuc privatus viveret, ferre non potuit monitorem, cùm
 ad Imperii tabernaculum accessit, uti refert Philo Hebræus : *Phil. de le-*
Castigatorem, inquit, impudenter rejiciebat: Interdum etiam gat. ad Ca-
procul venientem conspicatus, sic alloquebatur proximos: Adest jum.
 Praeceptor jam supervacuus; pedagogus, non amplius pueri, pru-
 dentioris se ipso monitor, qui subito Imperatorem obedire postu-
 lat. Et statim de sua sibi prudentia, judicio, cæterisque ad im-
 perandum dotibus blanditur: *Et audebit, inquit, aliquis indo-*
ctus me, qui in materno utero, & naturæ officina Imperator for-
matus fui, nondum in lucem editus, docere artes imperatorias,
quas dudum probè calleo? Audire est & hodie nonnullorum
 (qui sibi nimium sapientes & docti videntur) audire est, in-
 quam, voces: *Quid mihi concionator opus? quid monitor im-*
portunus? quid inconditus buccinator? qui nimium quantum
 vitia mea exaggerat, conscientiam aggravat, Scrupulos ingra-
 tos movet ac ciet, unde non nisi atram bilem & melancholi-
 cum sanguinem generari est necesse, Habeo domi meæ co-

dices, habeo libros politicos, historicos, habeo & asceticos, unde citra periculum confusionis meæ (quam in templo incurtere possem) doctrinas morales & statui meo competentes, copiose hautire & capessere possum. Dederim istud equidem, posse quempiam ex lectione librorum piorum magnum spiritualem fructum capere, & hâc ratione Societatis nostræ Parens S. Ignatius viraulicus & equestris à seculari vita ad summam perfectionem conversus est : Non tamen idcirco publicas conciones negligendas monet imprimis Sacrosanctum Concilium Tridentinum, dum fideles omnes ad eas audiendas in suis Ecclesiis saltem diebus Dominicis ac festis exhortatur ; S.

Sess 24. c. 4.

*Synodus mandat, ut in Ecclesia sua. (Ordinarii locorum) sive ipsi per se, aut, si legitimè impediti fuerint, per eos, quos ad prædicationis munus assument ; in aliis autem Ecclesiis per Parochos, sive, iis impeditis, per alios ab Episcopo impensis eorum, qui eas præstare vel tenentur, vel solent, deputandos in Civitate, aut quacunque parte Diœcesis, censebunt expedire, saltem omnibus dominicis, & solennibus diebus festis; tempore autem jejuniorum quadragesimæ, & Adventus Domini, quotidie vel saltem tribus in hebdomada diebus, si ita oportere duxerint, Sacras Scripturas, divinamque legem annuntient, & alias quotiescumque id opportunè fieri posse judicaverint. Ecce quām opérōsè Sacrum Concilium prædicationem divini verbi inculcat ordinariis & consequenter ipsis Christi fidelibus & Parochianis ejus auditionē (quibus tamen licitum est secluso proprii Parochi contemptu etiam in Ecclesiis Regularium concionibus interesse) utpote cùm hæc sit una ex notis, quibus electi ad gloriam à reprobis distinguuntur ; nam *omnis qui ex DEO est, verba DEI audit* : Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis, dicebat CHRISTUS incircumcis saures habentibus Judæis ! ubi Divus Augustinus : *Quoniam, inquit, præscierat Dominus, qui fuerant credituri, ipsis dixit ex DEO, quoniam regenerationis adoptione renascerentur ex DEO, ad hoc pertinet**

Declarat.

Joan. 8.

pertinet : qui ex Deo est, verba Dei audit. Quod vero sequitur: propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis : eis dictum est, qui præcogniti erant, quod non fuerant credituri. Sed jam de incircumcisis auribus dictum satis, venio ad eos, qui tametsi avidè verbum DEI excipiunt, illud tamen non tam audiunt, quam aspiciunt & speculantur.

§. III.

Quinam verbum Dei auribus speculentur.

Venite, inquiunt, videamus hoc verbum, quod iste aut ille Ecclesiastes, in urbe nostra laudatus, & per compita celebratus, ad frequentem auditorem disseminat. Verum quæ in regione verba tam colorata sunt, ut videri & conspiciqueant? Nisi forte in aliqua Utopia, ubi verba ore prolata, antequam ad aures distantis proveniant, prævehementiâ & rigore frigoris congelari, & in glaciem densari perhibentur seu potius singuntur. Nostis, quot quot estis Philosophi, potentiam auditivam, tametsi forte, secundum nonnullos, per potentiam suam obedientialem divinitus elevari possit ad producendam visionem; nequaquam tamen propter subjecti incapacitatem participare posse effectum formalem visionis, & dici *videns*. Nihilominus paradoxum hoc, & nodum difficultatis ad quaerere resolvit Divus Jacobus Apostolus, dum in sua canonica Epistola fideles ita adhortatur : *Estote factores verbi, & non auditores tantum, fallentes vosmet ipsos: Quia si quis auditor est verbi, & non factor; hic comparabitur viro consideranti vultum nativitatis suæ in speculo: consideravit enim se, & abiit, & statim oblitus est qualis fuerit.* En ut Apostolus nudos verbi *Jacob.* *18.* auditores comparet speculatoribus; est enim illud verè speculum quia in eo nos inspicimus & speciem animæ contemplamur, ut videamus quantum à virtutis perfectione distemus, videamus fæditatem animæ nostræ & turpitudinem peccatorum quibus obnoxii sumus. Sed quid juvat speculari, si quod specu-

Aug. tr. etat. 42.

speculati, quod intuiti sumus, quod faciendum, quod vitandum in concione cognovimus, effectui non demus, & datâ, ut itâ dicam, operâ obliscamur; & nolumus intelligere, ut bene agamus. Talis speculator fuit Herodes ille Tetrarcha Galliae, qui frequens magni Prædicatoris Joannis Baptizæ auditor erat, & (quod scribit Marcus Evangelista) libenter eum audiebat, insuper etiam auditò eò multa faciebat, sed quod caput rei & punctum difficultatis, intelligere noluit, ut nimirum ablegaret ab se, & dimitteret uxorem fratris sui; imò ex speculatore spiculator demum factus est, cum decollavit Joannem in carcere, & cum capite vocem ei sustulit, nè ab eodem ultrà comoneretur. Talem speculatrixem memorat noster P. Johannes David alicubi locorum ancillam, ex qua cum materfamilias quæsisset, quonam excurrisset, unde veniret, respondit illa, ex templo se venire, concessionem istic factam esse, institit hera, an concio facta esset: Illâ affirmante & jurante se ei interfuisse, & audivisse, subsumpsit hera, &, itâ, inquit, dicta est, vel potius à te visa, non facta, nec in opus redacta; superest, ut manus operi admoveas. Pulchre ad propositum nostrum Seneca Philosophus: *Quidam veniunt, inquit, ut audiант, non ut discant: Sicut in theatrum voluptatis causa ad delectandas aures, oratione, vel voce, vel fabulis ducimur. Magnam hanc partem auditorum videbis, cui Philosophi (dicam ego, concessionatoris) Schola diversorum otii sit; non id agunt, ut aliqua illis vicia deponant, ut aliquam legem vitae accipient, ad quam mores suos exigant; sed ut oblectamento aurium perfruantur. Aliqui tamen & cum pugillaribus veniunt, non ut res accipient, sed ut verba, quæ tam sine profectu alieno discunt, quam sine suo audiunt.* Hactenus sapiens Ethnicus, Christianos illos ad vivum describens, qui ad conciones non tam audiendi, quam spectandi gratiâ adeunt, & tanquam ad theatrum veniunt: Nam sicut in theatro plerumque oculos magis quam aures pascimus, laudando nunc formam theatri, nunc ejus ornatum, nunc personarum

Marc. 6.
P. David.
virid. Chri-
stian. c. 97.

Senec. E-
pist. 108.

narum vestitum splendorem ac varietatem, nuncagendi dexteritatem, &c. peractâ verò Scenâ nullus ferè alias reportatur fructus, quām duo illa verba : Bella comœdia! bellè egerunt! ità in concionatore laudatur modò eruditio, modò eloquentia & dicendi modus, modò memoria, modò gestus, modò canora vox, applauditur, acclamatur : Bene & ad miraculum dixit ! Nunquam sic locutus est homo. Sed, ô bone, aut quod laudas, facito ; aut si non facis, laudare desinito : Prolixa enim laudatio est, quæ non queritur verbis, sed tenetur factis, ait Divus Ambrosius. Jam si aliqui de præsentibus spectatores mei huc venistis,

Ambros. l.
I. de virg.

Spectatum admissum teneatis amici;

Spectaculum vobis propono ridiculum illud quidem, sed simul Horat. quām maximè serium. Dixeram suprà, esse nonnullos qui concionatores incircumcisus labiis ambiant. Si ego hujusmodi sum, & graciliter ad vos loquor, locò mei asinum circumcisâ labia habentem h̄ic statuo ; non illum, quem circumcisus labiis (quò semper ridenti similis patentibus appareret dentibus) carduos comedentem cum vidisset Dionysius Tyrannus in risum effusus dixit : *Similes habent labra lactucas*; Non illum, inquam, sed qui in specu seu stabulo Bethleemitico ad præsepe Christi nati stetit, & inde ceu ex cathedra non jam iocabundus, sed concionabundus, non gracili sed sonora voce illud Isaiæ de se vaticinium omnibus proclamat: *Cognovit asinus p̄e-Isa. I. Lyc. sepe Domini sui, Isræl autem verbum DEI quod factum est,* ^{2.} *non cognovit.*

Anacephaleosis dictorum & conclusio.

Sed inverte paululum parabolam tuam ô Aselle ; & dic modò : Cognoscunt rudes & indocti (quorum ego typus) cognoscunt plebei, cognoscunt humiles, pauperes, ignobiles verbum Dei illudque recipiunt : Sapientes contrà, divites, potentes secundùm carnem nobiles non cognoscunt & recipierenolunt. Ju-^{Ia 4.} stè in hos querela Dei est : *Quis cæcus nisi servus meus, aut quis*

Hh

surdus.

surdus, nisi ad quem nuncios meos & oratores misi. In sola hac Triurbe Pragensi plusquam quadrageni oratores quot dominicis & festis diebus è diversis pulpitis perorant; & quis fructus tot concionum? Non referunt fructum, qui verbum DEI extimâ duntaxat auriculâ & sine omni attentione audiunt, si tamen audiunt: Non referunt fructum, qui cor induratum & veluti lapidum cumulo obvallatum gerunt, qui cùm sint ipsi met duri, omnis sermo de virtute, de peccati fuga, de pœnitentia, de perfectione durus illis videtur dicentes cum lapideis illis Christi discipulis: *Durus est hic sermo, & quis potest eum audire?* Non referunt fructum, qui spinis aures obsepiunt, spinis dicco, quod dicit ipse Christus, divitiarum & voluptatum hujus vitæ, quæ suffocant sementem cœlestis Patris familias. Quid de his dicemus? Hoc dicemus. Qui verba Dei non audit, non est ex Deo; & qui non est ex Deo, non est è prædestinorum numero: Non est ex numero ovium Christi, de quibus ipse ait: *Oves mee vocem meam audiunt:* Non sunt terra, non sunt ager, cui benedixit Dominus: Non sunt ex beatis illis, quibus dicitur: *Beata aures, quæ audiunt, quæ vos auditis.* Quod si non sunt ex DEO, necesse est, sint ex Diabolo: Si non sunt ex prædestinorum, sunt ex reprobatorum numero: Si non sunt ex ovibus, sunt ex hoedis: Si non sunt terra benedicta, sunt maledicta, de qua dicitur: *Spinæ & tribulos germinabit:* Sinon sunt in censu Beatorum, erunt in censu æternū miserorum. Qui habet aures audiendi, audiat!

DOMINICA QUINQUAGESIMÆ.

Mundus Hospital cæcorum.

Cæcus quidam sedebat secus viam. Luc. 18.

REs mira! Auditores, Christus appropinquat Jericho, & incidit in cæcum. *Cæcus sedebat secus viam;* nec ille ignobi.

nobilis unus aliquis, sed, ut Marcus notat, filius Bartimæi, hoc est *filius floridi*, filius alicujus divitius & nominati viri (neque enim plebeiorum hominum nomina palam celebrari solent) nec solus, sed cum comitatu alterius item cæci; ait enim Matthæus duos fuisse: *Duo, inquit, caci sedentes secus viam audierunt quia IESUS transiret, & clamaverunt dicentes: Domine miserere nostri; Res, inquam, mira! si enim Jericho locus deliciarum est (ibi enim Salomonem Engaddi vineas suo que hortos Paradisi æmulos habuisse docent scriptores) si Jericho, inquam, locus deliciarum est; unde habet cæcos, quos mortaliū miserrimos nemo non dixerit & Euthymius ait; grande malum est aliquem esse cæcum, grandis miseria.* Hinc bonus Tobias oculis captus, dicebat iis, qui eum ad lætitiam stimulabant: *Quale gaudium mihi erit, quid in tenebris sedeo, & lumen cœli non video? Si cæcus filius Bartimæi, sive floridi, ac deditis ut quid mendicat? Si duce eget, ut q. d. similem sibi cæcum in ducem adsciscit? Cæcus enim cæco quomodo duatum præstabit? Nonne ambo in soveam cadent, teste ipsomet Domino & Mysteria hac sanè mira sunt; sed quæ temporipræsenti apprimè conveniunt. Jericho enim quod nisi mundum significat? Ita docet origines: Per Jericho, inquiens, intelligitur mundus.* Hic diebus his antecineralibus totus est in deliciis & floribus, totus in conviviis, epulis, symposiis, symphoniis, jocis, ludis, saltibus, choreis, tripudiis, spectaculis & omnis generis hilaritatibus, verum inter has ipsas delicias pluri flunt cæci, & exoculantur, & ii ipsi, quod de Pharisæis dixit Christus, cæcorum duces ac mendici, quorum cæcitatem præsentis sermone declaratum ibimus.

Matth. 20.

Euthym.

Tob. 5.

§. I.

Peccator exoculatus.

Inter cætera pietatis, quæ post se S. Ludovicus Galliarum Rex reliquit, monumenta, est etiamnum hodieque Parisiis
Hh 2 hospit-

hospitale pro trecentis cæcis fundatum, vulgo hospitale quindecim viginti; quod fundavit in memoriam trecentorum nobilium qui in expeditione Damiatæ, sive capti, sive obsides in Ægypto relicti, à barbaris sunt exoculati. Barbarorum enim usitata ea crudelitas est, hostibus suis oculos eruere, uti fecerunt

(a) Judic. 16
 (b) Jerem. 39
 (c) Liv.
 (d) Cranz.
 l. 2. c. 23.
 (e) Procop.
 l. 9. c. 6.

Philisthæi Samsoni, (a) Babylonii Sedeciæ Regi Juda (b) Carthaginenses Atilio Regulo (c) Berengarius Ludovico Bosonis filio (d) Justinianus Belisario (e) &c. jam verò quæ non confusio in una hospitali domo sit necesse est, quana trecenti exoculati incolunt, dum videlicet nemo illorum se se movere potest, quin in alterum impingat, aut parieti caput, pedemve faxo allidat; videre est hunc in terra volutari, alium è scalis prolabi, audire lamentationes, & ejulatus, ah! ohe! audire scipionum crepitus, quibus andabatarum instar invicem velitantur. Vi-

detur mihi mundus his diebus magna sui parte in ejusmodi hospitale cæcorum transfire, & hoc ex eo vel maximè capite, quia incolis suis persuadet, licere hoc tempore licentius vivere, nec tantam Dei mandatorum, utialiæ, rationem habere, libera- lius genio indulgere; quæ nonne magna cæcitas? Si enim man- data Dei lucerna sunt & oculus pedibus nostris, teste Davide, hanc lucernam extinctum ire, quod est nisi cæcitatem & te- nebras sibi velle inducere, ut nescias, quò gressum tuto figas; cæ-

Psal. 118.

Gregor. I.
 p. Past. c. 11.

cus enim est ut ait Divus Gregorius, qui supernæ contemplatio- nis lumen ignorat, qui presentis vita tenebris pressus, dum ve- ram lucem nequaquam, diligendo, conspicit, quò gressus operis porrigat, nescit. I. Reg. c. 11. Naas Ammonites fædus cum Israelitis Jabes Galaad facturus, hanc eis conditionem propo- suit: In hoc feriam vobiscum fædus, ut eruam omnium vestrum oculos dextros. Crudele sane foedus, & summè probrosum tan- to populo; sic enim deturpare illos & vili facere coram omni- bus vicinis gentibus volebat Tyrannus, addens: Ponám vos opprobrium in universo Israël, quippe cæci aut monoculi ap- uxores sunt, quibus ab omnibus illudatur: Quo modo etiam illusit

illusit Basilius secundus Imperator Græcus Bulgaris, dum par- Cuspin. &
tâ contra Samuelem eorum Regem victoriâ, quindecim mil- Zonara.
lia ad se adducta omnino excæcavit, uno è singulis centuriis
monoculo relicto, qui reliquos duceret. At crudelior longè
Tyrannus peccatum, quod unum oculum homini eruere, non
contentum, utrumque funditus & radicibus itâ eruit, ut ne
scintillam minimam alicujus luculæ ei relinquat. Expertus
est hoc magno suo malo post suum peccatum David, dum
queritur & lamentatur : Comprehenderunt me iniquitates Psal. 39.
meæ & non potuit viderem. Comprehenderunt & captiva-
runt, tanquam hostes & tyranni, funibus & catenis astrinxerunt
(funes peccatorum circumplexi sunt me) compedes injec- Psal. 118.
cerunt, oculos eruerunt, & non potuit ut viderem DEUM sum-
num bonum meum, peccata mea diviserunt inter me & il- Hugo. Card.
lum & absconderunt faciem ejus à me, excæcavit me malitia
mea : Nec mirum, si non potui videre, quia multiplicatæ sunt
iniquitates meæ super capillos capit is mei ; cor meum conturba-
tum est in me, dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum
meorum & ipsum non est mecum : Factus sum opprobrium exinde
de vicinis meis valde : adversum me surrabant omnes inimici
mei illudentes mihi ac dicentes ubi est D E U S tuus ? Nō scis vis,
ō bone David ubi sit D E U S tuus ? Juxta te est, ponē te est, spec-
ulator adstat de super, tuosque actus, imò cogitata, prospicit.
Prospicit, dum Bersabeen ad te evocas, prospicit, quod circa
Uriam ejus virum machineris, quid moliaris, quid cogites, pro-
spicit, quod Joabo circa illum scribas ; & hunc non vides, qui
ante hac Psallebas : Providebam Dominum in conspectu meo Psal. 15.
semper, quoniam à dextris est mihi nè commovear ? Ah ! inquit, Psal. 139.
comprehenderunt me iniquitates meæ, exoculaverunt me,
juxta iter scandalum posuerunt mihi, & non pos-
sum videre ; hinc motus est pes meus
effusæ sunt gressus mei.

Psal. 73.

§. II.

Peccator non videt præsentem sibi DEUM.

ATque hic est primus cæcitatris in peccatore effectus oblivio animorum Dei & ignorantia quædam affectata, dum ita libere, dicam an cæcē, peccat, quasi DEUS non esset, cuius mandatis obtemperare debeat, juxta illud Psalmi: Dixit insipiens in corde suo: *Non est Deus, & dixit impius in corde suo: Non requiret, non requiret, quod ego egerim, quod dixerim, quod cogitaverim, peccavi enim semel, iterum ac tertio, & quod mihi accidit trifite?*

O miseras hominum mentes & pectora cæca!

Qualibus in tenebris vitæ quantisque periclis

Degitur hoc ævi quodcunque est.

Luculentius in hoc exemplum in se ipso præbet Davide pœnitente exoculatio impœnitens Judas Iscariotes, quem cæcorum ducem vel ex eo dixero, ut qui fuit dux eorum, qui comprehendenterunt JESUM. Veneratis cum nefaria cohorte sua in villam Getsemani, ubi sciebat Jesum esse, dederatque eis signum dicens: *Quemcumque osculatus fuero, ipse est, tenete eum, & ducite caute.* Et ecce obviam sibi factum ultróque occurrentem, seſequē manifestantem: *quem queritis ego sum,* vel ad laternas & faces non agnoscit, sed velut si in lapidem offendisset (uti revera tunc ei fuerat lapis offensionis & petra scandali) velut si in lapidem, inquam, offendisset, cum omnibus quos ducebat, in terram graviter prolapsus est; & subinde à lapsu consurgens stabat dubius etiamnum & anceps, quemnam accedens oscularetur (*stabat autem & Judas, qui tradebat eum, cum ipsis, scilicet Judæis*, donec acceptâ potestate, & auditô: *Hæc est hora vestra & potestas filii tenebrarum,* accedens osculatus est eum, dicens: *Ave Rabbi.* O infelix Juda; quomodo non cognoscis Magistrum tuum, cum quo tribus & ultra annis familiariter conversatus es, cum quo paulò anté coenâsti, & buccel-

Psal. 13.
Psal. 9.

Eccli. 5.

Lucrer.

Act. 1.

Marc. 14.

1. Pet. 2.

Joan. 18.

Luc. 22.

buccellam intinctam , specialis notam honoris , de manu ejus accepisti ? Numquid ille sui vultus lineamenta immutavit ? Numquid aliam formam assumpsit ? nihil herum equidem . Sed tu immutatus es , tu ex discipulo proditor , ex homine diabolus , ex vidente cæcus factus es , ait enim Evangelista , quod post buccellam acceptam introivit in eum Satanus , & continuo Joan. 13. cum exoculavit , noctemque eidem induxit , unde dicitur è cœnaculo nocte exivisse (erat autem nox) nox erat non tam in Joan. 17. aere , cum plenilunium tunc fuerit , quam in Judæ animo , ut scilicet sine ulteriori consideratione ac deliberatione conceprum scelus executioni daret . Judas , inquit Augustinus , no Aug. in. ñte exivit ; quia erat filius tenebrarum & noctis . Joan.

Simile quod accidit Apostolorum Principi Petro , qui è quod se se perditæ ministrorum turbæ in atria Caiphæ mis- cüssit , & ad ignem unâ consedisset , in suspicionem adductus quasi unus è discipulis Christi foret (numquid & tu ex discipu- Joan. 18. lis es illius ?) Comprehendi timens tertio turpiter & cum per- jurio negavit , quia non novi hominem illum , quem dicitis . O Matth. 26. Petre ! non longè antè D E U M illum palam confitebaris , di- cens : Tu es Christus filius Dei vivi ; & jam nec Deum nec ho- Matth. 16. minem nōsti ! non nōstieum , qui te de navi vocavit & è písca- tore píscium píscatorem hominum fecit , qui tibi Regni cœlo- rum claves dedit , & super Ecclesiam suam Príncipem consti- tuit ? Non nōsti eum , quite in fluctibus ambulantem , nè mer- gereris dexterā suā erexit ? Non nōsti eum , qui pro te , non se- cús ac pro se , didrachma soluit ? non nōsti eum , quite in mon- tem excelsum Thabor assumpsit , & ibi coram transfiguratus gloriam suam manifestavit , quā illectus dicebas : Domine , ho Matth. 17. num est nos hic esse ? Non nōsti eum , qui tibi ab hinc bihorio vel trihorio summa cum teneritudine & dulcedine amoris luti- lento pedes tuos lavit ? Non nōsti eum , cui modò dicebas : Te- cum paratus sum & in carcerem & in mortem ire ? Ah Petre ! Luc. 22. ad ignem excæcatus es ! nimius tuus vitæ amore exæcavit :

com-

comprehendi & in carcerem mitti pertimisti, & ecce comprehendenterunt te iniuriantes tuæ, ut non possis videre quantumvis tibi vicinum Deum tuum, creatorem tuum, Redemptorem tuum, Magistrum tuum, benefactorem tuum, amatorem tuum; & nisi ille te prior respexisset (*conversus Dominus respexit Petrum*) nisi tibi lucem mentis reddidisset, parem cum Juda damnationis aleam sortitus eras. Et inde, credo, factum, ut etiamnum post resurrectionem Christi aliquid tenebrarum in ejus oculis resederit. Cum enim eo in mari Tiberiadis unâ cum socio Joanne pescante JESUS ad littus confisteret, Joannes suis Aquilinis oculis continuò Magistrum agnivit, dicens: *Dominus est.* Non sic agnivit Petrus, sed velignotum aliquem hominem aut omnino phantasma existimat. Quid causæ, cur hic non agnoverit, agnoverit ille? Fortè quia ille juvenis, hic senex & oculis debilioribus. Sed adeò decrepitus tunc nec dum erat, neque perspiciliis opus habens: Chrysolog. Probabiliorum causam allegat Chrysologus, quod nimirum Petrus pravo Judæorum Sodalitio antea se miscuerit, & ad ignem cum ministris se caleficerit, & ideo amiserit lucem suam: *Tardius, inquit, Petrus suum Dominum videbat, quia facile vocem ancillæ susurrantis audiebat.* Et hæc de primo cæcitatis, quæ est in peccatore, effectu.

§. III.

Peccator non videt se ipsum.

Basil.

Apter non minus detestandus effectus est, non videre se ipsum, & fecunditatem suam, quæ ex peccato in peccantem redundat, & tanta est, ut Diaboli ipsius fecunditatem exæquet: *Magnus Daemon est peccatum*, ait Divus Basilius, Daemon autem, uti revelavit S. Catharinæ Senensi DEUS Pater, in tantum est horribilis, quod homines experti eligerent potius habere omnes penas vite presentis, quam dæmonem in sua figura videre. Vedit unus aliquis Exorcista, sed luctuoso eventu, Cremfiriū

sirium civitas est Moravia, sedes Episcoporum Olomucensium, meum natale solum, illic (uti à majoribus meis accepi) in templo cathedrali S. Mauritii Episcopus Cardinalis Dœmonem sacris exorcismis ex energumeno exigebat, ad quos, cum nequam spiritus cedere detrectaret, ab alio præterquam à Decano minimè pellendus, ipse Decanus sanctâ summissione, indignitatem suam profitens, ei se muneri imparem judicabat; demum post complures tricas, ut odioso adversario ægri quidam faceret dœmon, Decano dixit: Respiceret saltem, se se mox exiturum, atque tam fœdâ eiformâ visus est, ut respiciens horrore perculsus à sensibus emoveretur, ex eaque consternatione, post agitationem enormem denique moreretur. Tanti constituit vel momento dœmonem vidisse! quid quod S. Chrysostomus ausit dicere, peccatum Dœmone pejus esse? Proindeque, si etiam corporeis oculis cerni posset, ejus fæditas, nemo non eligeret cum præfata S. Catharina non tantum omnes poenas hujus vitæ sed etiam in ipsum infernum demergi, quam in illud consentire. Fingunt Poëtæ, immò versibus quodammodo depingunt varia visu terribilia & horrida monstra, fingunt Medusam anguicomam, ad cuius unicum aspectum homines in saxa diriguerant; fingunt Hydram septicipitem, fingunt Cerberum trifaucem, triformem Chimæram, tricorporem Geryonem, centimanum Briareum, Eumenides seu furias infernales flammantibus oculis, & alia ejusmodi monstra, quæ P. Maro ita describit:

Chrysost.

Virg. l. 6.

Æn.

Vestibulum ante ipsum, primisque in fauibus Orci
Terribiles visu formæ, lethumque laborque.
Ferreique Eumenidum thalamî & discordia demens
Vipereum crinem vittis innixa cruentis,
Multaque præterea variarum monstra ferarum,
Centauri in foribus stabulant, Scyllæque biformes,
Et centumgeminus Briareus, & bellua Lernæ,

Horrendum stridens, flammisque armata Chimera

Gorgones Harpyiaeque & forma tricorporis umbræ.

Verum omnia hæc & sexcenta alia cogitabilia monstra si in unum conflarentur, aut si unum fierent corpus quod haberet co-
mas vipereas Medusæ, oculos flammivomos Eumenidum, na-
sum seu potius rostrum vulturis Tityum exedentis, fauces & ri-
ctum Cerberi, aures Midæ, collum Hydræ, centum manus
Briarei, pectus igneum Chimæræ, ventrem draconis Pythii,
pedes Erymantydas Ursæ: illud tale horrendum, ingens, imma-
ne monstrum in comparatione vel unius peccati lethiferi, ad-
huc formosius videri posset Narcissus. Et sanè Narcissi sibi
ipsiis videntur turpissimi peccatores, quando (ut loquitur Sacer-

Prov. 2.

Paræmiaestes) lætantur cum male fecerint, & exultant in re-
bus pessimis. Lætantur, quasi rem præclaram egissent, exul-
tant, cantant tripudiant & gloriabantur in immunditiis, in im-
pudicitiis, in commissationibus, in ebrietatibus, quasi per talia
suis contribulibus summè gratosi, turpitudini suæ larvam ho-
nestatis prætendentes & jactantes: Non esse Diabolum adeò
nigrum, uti pingitur à pictoribus, non esse peccata tam gravia,
uti aggravantur à Theologis non esse infernum tam calidum,
uti comminiscuntur Sacerdotes & religiosi, immo pœnas inferni
usque adeò exaggeratas aliud non esse, quam mera ipsorum
figmenta; hominem liberum ac ingenuum esse, nec debere
sui ipsius carnificem agere, sed magis bonis hujus vitæ perfrui,
dumi sunt & offeruntur. O cæxitatem detestandam! ô tene-
bras plusquam Cimmerias, profectas à patre terribilium, qui
eas primus Protoparentibus induxit, dum eis persuasit, ut non
attendentes mandatum Dei, appetitui suo, comedendo fru-
ctum arboris vetitum, satisfacerent. Præceperat eis Deus, &
quidem sub interminatione gravissima mortis & temporalis &
æternæ: Ex omni ligno paradisi comedere (Adame) de ligno au-
tem scientia boni & mali ne comedas; in quounque enim die co-
mederis ex eo mortem morieris, Conjicit Eva oculos in arborem,
videt

Gen. 2.

videt quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis aspectusque delectabile, orexi exinde percepta, tacita animo cogitabat; si daretur tam formosum fructum vel primis labbris degustare! adest improvisio, & non tam adserpit, quam advolat Tartareus coluber suique corporis sinuoso flexu totam arborem circumgyrat, & inter terrifica Sibila has articulatas humanas voces in aere eformat: Cur praecepit vobis DEUS, ut non comederetis de omni ligno paradisi? Audit Eva, & neficia cum quo loquatur muliebri dicacitate reponit: *Nefortè moriamur.* Ne forte moriamini? itane de veritate praecepti dubitas? Nunquid non Deus absoluere pronuntiavit: *In quaunque die comederitis, morte moriemini?* Premit Ceraastes callidus, & animadvertis fluetuanter mulieris mentem instat: *Nequam moriemini, sed eritis sicut dii formosi toti ac intelligentes.* Persuadet id quod intendebat, carpit Eva pomum, porrigit viro, gustat ille; & ecce continuò uterque latebras querunt, & suæ turpitudinis amiculæ consarcinant; quique se se diis parres futuros & lucidos existimabant, ipsi Cacodæmoni tetrorem ac nigerrimo facti sunt similes nec ausi in conspectum Dei ambulantis in paradyso ad auram post meridiem è latebris prodire, nimirum quæ communicatio tenebrarum cum luce, vespere cum meridie? Ambulabat Deus ad auram post meridiem pleno & perfecto die: apud illos interim vesper, immo nox erat; id quod ex versione Septuaginta interpretum non obscurè colligitur, qui sic legunt: *Deambulabat Deus ad vesperam.* Nunquid scriptura sibi met ipsi contradicit; cum altera dicat Deum ambulasse post meridiem, altera ad vespere? Quid sibi tam oppositum ac meridies & vesper? S. Ambrosius utramque hanc scripturam scitè ita conciliat, dicens utrumque verum esse, fuisse scilicet Adamo peccante simul & meridiem & vespere diverso respectu: *In paradyso (verba sunt ejus) ubi semper matutinus est dies vespere efficitur; quia omnia peccata tenebrosa sunt.*

Ambros.
hoc loco.

Peccator non videt mala sibi imminentia.

Tertius præterea pessimus cæcitatibus è peccato provenientis effectus est, ad nulla imminentia pericula advertere, & vel in ipso extremo viræ discrimine peccatorem sui securum reddere. Cæcum ad ostium putei profundeque cujuspiam voraginis colloces, intentes huic gladium, vibres contra eum hastam, extendas arcum, æneam dirigas fistulam, ad pectus pugionem applices, clavam in caput contorqueas, nil terretur, nil trepidat, non se loco movet, aut si se modicum moverit, in putrum cadit, cur non trepidat? cur non expavescit? quia cæcus est, quia nihil horum quæ sibi intentantur ac impudent mala, videt. Quæ non intentat mala Deus usque & usque peccantibus! gladium suum, ut canit Psaltes vibravit, arcum suum tendit & paravit illum, & in eo paravit vas mortis. Sagittas suas ardentibus similes effecit: acuit iram suam in lanceam, armavit creaturam universam & omnia elementa in ultionem inimicorum suorum: Armavit astra & aërem, ut pestilenti influxu ac lue corpora inficiant, armavit aquas ut exuberanti eluvione sat a lat a bovumque labores eluant ac evertant, armavit terram, ut loco bonarum frugum steriles herbas & noxias bestias ac insecta putrida producat; armavit gentem contra gentem & regnum adversus regnum, ut se ferro & armis invicem atterant, devorent, depascantur. Quid ad hæc cæcus peccator? Sedet secus viam, secus & extra viam justitiae, sedet ad os putei & abyssi infernalis, nihil horum recogitans, quæ circa se fiant sibique præparentur mala, sedet nec surgit ut fugiat à facie venturæ iræ Dei. Sic cæci erant universi propè homines tempore Noë, quando omnis caro corruperat viam suam, & multa malitia prævaluerat super terram. Dixerat Dominus ad Noë: Fac tibi arcam de lignis levigatis, mansiunculas in arcæ facies, & bitumine linies intrinsecus & extrinsecus; & sic facies

Psal. 7.

Sap. 5.

Gen. 5.

Gen. 6.

facies eam : trecentorum cubitorum erit longitudo arcae , quin-
 quaginta cubitorum latitudo , & triginta cubitorum altitudo
 illius , ecce ego adducam aquas diluvii super terram , ut interfici-
 am omnem carnem , in qua spiritus vita est super cælum . Pa-
 ret Noë , sinè mora cæduntur silvae , exasciantur ligna , scindun-
 tur , dolantur , conglutinantur , compinguntur invicem tabu-
 lae , in altum consurgit moles montibus exæquanda : Totis cen-
 tum annis in ea laboratur ac sudatur . Accurrunt & affluunt
 undique spectatores , mirantur & contemplantur molem ha-
 ëtenus invisam , querunt curiosi ex Noëmo quid sibi velit hoc
 tantum , tam difficile , tam arduum , tam laboriosum , tam ex-
 quisitum opus : Urbem tu , ajunt nonnulli , navalem aliquam
 moliris , ubi separatus à reliquis in mari & in medio aquarum
 velut aliquis Neptunus cum tua familia degas ? quid sibi volunt
 tot in arca cameræ , tot mansiunculæ , tot cænacula , tot tristega
 seu contignationes , tot jumentorum & ferarum stabula & præ-
 sepia ? Respondit Noë & ceubonus præco Dei inclamat : pœ-
 nitentiam agite , pœnitentiam agite , & quiescite agere perver-
 sé : adhuc Sexaginta (& sensim decrescentibus annis) adhuc
 quinquaginta , 40. 30. 20. 10. adhuc quinque , adhuc tres , ad-
 huc duo anni sunt , & delebitur aquis diluvii omne genus hu-
 manum , & omne quod movetur in terra : super montes stabunt
 aquæ , & non erit uspiam locus aridus & siccus , ubi vel hirundo
 aut passer possit ponere pedem suum ; omnes volucres & o-
 mnes bestiae , (præter binas è quavis specie) aquis suffocabun-
 tur . Ad hæc illi : insanis Noë , somnia & anicularum delira-
 menta ac fabellas loqueris ; quin potius desine temetipsum fru-
 straneo labore consumere , & in senectute tua jucundos nobis-
 cum dies age , comedere , bibe , epulare . Appropinquabat intre-
 ra decretorum universalis cataclysmi tempus , obtenebrari
 cælum , atra & picca nubila à quatuor ventis congregari , mu-
 gire tonitrua , fragore nubes aquis foetæ concrepare ac disrum-
 pi , & instar cataractarum totis continuis quadraginta diebus

Super terram imbres effundere, exundare Maria, flumina ac torrentes super effluentibus alveis in sata & agros in urbes & vi- cos irruere, jámque adeò volucres singularum specierum certati- m in arcum involare, jam beluæ, jumenta & pecudes eodem incurrere, jam reptilia non testudineo sed celerrimo cursu ad se salvanda prærepere: Ubique horror & tristissima mortis i- mago. Soli peccatores ad hæc non attendere, sed veluti si ni- hil periculi subesset, veluti si omnia tuta forent, cum possent unico pœnitentiæ actu, unâ tunstione pectoris effugere irâ Dei, omnèque periculum declinare, ipsi epulari, helluari, nuptias celebrare, choreas agere, donec improvisos malum eis tam diu præparatum oppressit, involuit, perdidit, id quod Christus

Luc. 19.

Matth. 24.

Luc. 17.

Gen. 19.

Luc. 17. perfidis Judæis asseruit, dicens: *In diebus Noë edebant homines & bibebant: uxores ducebant, & dabantur ad nuptias usque in diem, quâ intravit Noë in arcum: & non cognoverunt, donec venit diluvium & tulit ac perdidit omnes.* Similiter non cognoverunt (quos hîc Cainitis jungit Dominus) Sodomitæ pessimi, sed edebant, & bibebant, emebant & ven- debant plantabant & adificabant: *Qua die autem exiit Loth à Sodomis, pluit Dominus ignem & sulphur de cælo & omnes per- didit.* Advenerant Sodomam duo Angeli iræ divinæ ac sup- plicii Scelestis decreti executores ac ministri, quos ut notârunt Sodomitæ, in libidine sua continuo exarserunt postridiè com- burendi, magisque excæcati cum in domum Loth, qui Angelos hospitio excepérat, irruere & fores effringere vellent, nè ostium quidem invenire poterant, monebat eosdem justus Loth: *Sur- gite, egredimini de loco isto, quia delebit Dominus Civitatem hanc.* Cùmque esset manè plerisque adhuc in stratis suis la- cívientibus nova nox Pentapolii toti imminet, eripiunt subito nubes ex oculis cœlumque diemque, turbo prævius horrisono strepitu ac impetu & culmina domorum concutit dejicitque, ex omni parte coruscant fulgura (cœlum totum flammeum diceres) fulmina alia ex aliis præcipitantur, quæ subsequitur

igneus

igneus imber, cui materiam & pabulum liquata pix, & graveo-lens sulphur ministrat, nec ruere desinit, usque dum totam illam sceleratam regionem in cineres ac favillas redigat, futurum perpetuum pœnæ divinæ monumentum. Non cognoverunt Caïnitæ, non cognoverunt Sodomitæ, sicut in exitu super summum, id est: non cognoverunt exitum & exitium suum, quod illis super summum, seu de summo imminebat, quia cæci erant.

P E R O R A T I O.


O Christiani! ô filii Dei! ô filii regni! itáne & vos cæci? Itáne, inquam, cæci, ut impendentia cervicibus vestris mala iræque divinæ romphæam & gladium utraque parte accumatum non videatis? Prædixerat aliquando ipsa Veritas Christus: *Erunt signa in sole & luna & stellis, & in terris pressura gentium. Surget gens contra gentem, & regnum adversus regnum, & erunt pestilentiae & fames, & terræ motus per loca, &c.* Et nonne dictorum veritatem vel hactestate ævoque nostro satis, comprobari animadvertis? Quantis bellis non ardet nunc universus prope orbis! quantis non motibus in se mutuo insurgunt regna & provinciæ! quantum non humani funditur sanguinis! quantæ non ubique pressuræ! quam horrida lues & mortis imago! quam dira & malesuada fames! quam miseranda egestas. Et tamen adhuc lubet sedere ad epulas & pocula, ad tabulas usurarias, ad tesseras & chartas, ad amores illicitos, ad mensas usurarias ac turpissimos quæstus? Quin otyus consurgitis, in templum tutissimum asylum confugitis, coram D E O Eucharistico procumbitis, & pro animabus vestris deprecamini & cum hodierno cæco clamatis: J E S U Fili David miserere nostri, miserere nostri Fili David! avertatur obsecro furor tuus, & ne des hæreditatem tuam in opprobrium, ut dominantur nobis inimici nostri. At quantuli sunt, qui in sacro hoc loco comparent. 4. Reg. c. 6. cum Samaria à Syris validissimè obsideretur, videns Giezi Elisei Prophetæ minister circa

circa urbem grandem exercitum, & equos & currus, nuntiâ-
set viro Dei, dicens: heu, heu, heu! Domine mi, quid faciemus?
Quò fugiemus à tanta tantorum hostium manu & potentia?
Respondit Propheta: Noli timere, fili; plures enim nobiscum
sunt, quam cum illis. Cumque orasset Eliseus, ait: Domine, a-
peri oculos hujus, ut videat. Et aperuit Dominus oculos pueri,
& vidit: & ecce mons plenus equorum & curruum igneorum,
in circuitu Elisei. Precemur & nos saltem quotquot iustic adsu-
mus, & cum Eliseo pro cæcis peccatoribus divinam misericor-
diam deprecemur: obsecramus Domine, aperi oculos cæco-
rum istorum, ut videant & cognoscant te Deum solum & quem
misisti JESU M Christum coram subspeciebus Eucharisticis
præsentem; ut videant, quem lanceis peccatorum suorum vul-
nerârunt, & in quem transfixerunt; videant, in quos fluctus
malorum devenerint; videant quod peccando amiserint; vi-
deant, quam turpes ac deformes effecti sint; videant præpara-
tum sibi tartarum qui jam jam aperuit os suum ut devoret ac
deglutiat eos, qui pro lautis dapibus virulentos bufones, pro ne-
ctareis poculis vasa liquatæ picis ac sulphuris, pro mollibus le-
ctis sartaginiis ignitas, pro muliebri mundo & luxu uncos fer-
reas ac pectines eis molitur; hæc, inquam, videant, eorumque
consideratione descendant in infernum viventes, ne mortui
illuc trahantur, & unde totâ æternitatere-

Joan. 17.

Joan. 19.

gredi & retrahi non pos-
sint.



IN PRECIBUS 40. HORARUM.
Quæ hoc triduo Bacchanalium in Ecclesiis P. P.
Societatis JESU, solenniter habentur.

Primâ die.

Aspectus DEI de cœlo horribilis ; de
SS. Eucharistia benignus & amabilis.

*Dominus de cœlo prospexit super filios hominum,
ut vident, si est intelligens aut requirens
Deum. Psal. 13.*

Vigilantissima Dei Providentia tametsi omni momento ac puncto temporis cuncta hominum studia intimos- que cordis recessus acutè adeò perscrutetur, ut nihil oc- cultum, nihil absconditum sit ab oculis ejus; ità tamen ad eo- rundem peccata atque scelera s̄epe connivet, ità dissimulat, ut & ipsa exoculatis illis videatur exoculata: *Dixerunt (postquam videlicet viduam & advenam interfecerunt, & pupilos occide- runt) dixerunt ait Psaltes regius: Non videbit Dominus, nec in- telliget Deus Jacob; Non videbit, non curabit vindicare.* Sic Job. 22. Dicunt impii: nubes latibulum ejus, nec nostra consi- derat, & circa cardines cœli ambulat. Quasi diceret (interpretè Hugone Card.) superioribus intentus minus videt insi- ma, & ambiens cardines cœli inferiora non respicit. Respicit enim verò & longè acutius, quām aquila de longè aspicit, an qui plantavit aurem, ipse non audiet, aut qui fixit oculum, non considerat? Et ecce hi ipsi cœli cardines sonorè perstrepue- runt: Panditur domus omnipotentis Olympi: attolluntur & elevantur portæ æternales: video celos apertos, quid hoc rei? Num novus aliquis hospes & gloriæ æternæ heres illuc ingre- surus est? Non ea de causa, sed ut idem Deus Majestatis tanto

Kk

specta-

Psal. 93.

Job. 22.

Hugo, Card

Psal. 93.

Gen. 18.

spectabiliorem se se hominibus præbeat, quorum clamor vociferations & tumultus cum hoc triduo de sede ac de throno suo excitat, ut de cœlo in terram prospiciat, imò descendat, ut videat si est intelligens aut requirens eum, quomodo olim exciverunt Sodomitæ, ut diceret : *Clamor Sodomorum multiplicatus est, & peccatum eorum aggravatum est nimis, descendam & videobo, utrum clamorem, qui venit ad me opere compleverint.*

§. I.

Prospectus Dei, de cœlo & descensus in terram plerūque iram ejus denotat.

Gen. 3:

Gen. 4:

Gen. 11.

Sæpius in scripturis Deus de cœlo in terram prospexit ac descendisse legitur; sed hoc ferè non egit, nisi quando enoribus hominum flagitiis ad vindicandum quodammodo evocabatur, sic Gen. 3. posteaquam primi parentes peccâssent peccatum grande, transgrediendo præceptum de non comedendo ex arbore scientiæ boni & mali, statim descendit Deus in paradisum, & honorem suum ultus, utrumque inde ejecit. Gen. 4. occiderat iniquissime invidus Cain fratrem suum Abel: è vestigio occisi sanguine seu clamore valido excitus vindex Deus de fraticida pœnam sumpsit, ejiciens illum à facie terræ (id est à patria ejus jucundissima & fertilissima) ut esset vagus & profugus in terra & nusquam ruto loco consisteret. Gen. 11.

Ædificabant magi, Cain mali filii, civitatem & turrim Babel, tantaque erat ædificantium arrogantia, ut dicerent ad invicem, celebremus nomen nostrum, & ædificemus nobis turrim, cuius culmen pertingat usque ad cœlos. Prospexit de cœlo Deus, & vidit civitatem & turrim quam edificabant filii Adam, & dixit ad Angelos Ministros suos : *Venite, descendamus & confundamus ibi linguam eorum, ut non audiat unusquisque vocem proximi sui.* Descendit confudit, & ab opere cœpto defeste compulit. Exod. 14. insequebantur Ægyptii filios Israël,

rael ut eos in servitutem pristinâ duriorem à fuga retraherent; jámque adeò eis propinquabant, ut modico intervallo dista-
 rent ausi ipsum hiatum divisi maris, per quem Israelitæ transi-
 bant, cum curribus & equis ingredi; cùm vociferante ad pro-
 ximum imminens periculum Dei populo, ecce respiciens Do-
 minus super castra Ægyptiorum per columnam ignis, interfecit
 exercitum eorum, & subvertit rotas curruum. Num. c. 14. in Num. 14.
 surrexerant rebelles nonnulli ex eodem populo Israelitico ad-
 versus Moysen & Josue jámque adeò lapidibus eos obruere pa-
 rabant tumultuantes & vociferantes; *Constituamus nobis du-
 cem & revertamur in Ægyptum*; quibus ità tumultuantibus
 subito apparuit gloria Domini super tectum fæderis coram filiis
 Israël, apparuit videlicet in nube lucida & gloriofa significans
 præsentiam & Majestatem Dei, qui percussit eos, & mortui sunt
 in deserto in conspectu Domini. Exod. 32. commorante Moy-
 se & cum Deo in Monte Sina diutius agente, populus longio-
 ris moræ pertensus in abominandum idolatriæ peccatum in-
 ciderat: ex templo Deus super abominationem tantam respi-
 ciens Moysen ad eos locò sui mittit, dicens ad eum: *Vade, de-
 scende: peccavit populus tuus, quem eduxisti de terra Ægypti.*
 Cùmque descenderet de monte, comitante Josue, audiens hic
 tumultum populi voriferantis dixit ad Moysen: *Ululatus pu-
 gnae auditur in castris.* Qui respondit: non est clamor adhor-
 tantium ad pugnam, neque vociferatio compellentium ad fu-
 gam; sed vocem cantantium ego audio. Auditur & hodie
 (isto præsertim triduo) ejusmodi clamor in urbibus Christia-
 norum, in plateis & per domos auditur, inquam, clamor can-
 tantium & incondite psallentium in bibendo vinum, in co-
 messando, in Saltando chorosque ducendo; (*Sedit enim po-* Ibid.
pulus manducare & bibere, & surrexerunt ludere) itaque re-
 sonat, ut ad ipsum Cœlum perveniat, quo excitus Deus, fene-
 stram Cœli aperit, & in terram prospicit, ut videat, quorum-
 nam sit clamor iste? quidve sibi velit. Et videt ac deprehen-

Phil. 3.

dit esse clamorem ac vociferationes merorum stultorum ac insipientium nescio cui obeso ac ventri potenti deastro (*quorum Deus Venter est*) litantium & Orgia celebrantium , nec non instar Mænadum huc illuc discurrentium , & , veluti si è Circæo poculo bibissent , in varias animalium formas transmutatorum : alius ululare cum lupis, alius latrare cum canibus, alius gannire cum vulpibus, alius grunnire cum porcis, alius mutire cum hircis , alius hinnire cum equis, alius rudere cum asinis, alius rancare & fremere cum tigribus, &c. cujusmodi vocibus varia peccatorum genera significari patheticè descripsit Divus Chrysostomus, in ejusmodi stultos ità inventus: *Unde queso potero te fidelem agnoscere, dictis omnibus contraria protestantibus? Quid vero fidelem dico? nec enim es homo, si manifestè possum videre, cum tanquam asinus recalcitrans, lascivias ut taurus, tanquam equus post mulieres hinnias, ventri tanquam ursus indulgeas, & ut mulus carnem impinguas, &c.* Jam quibus putatis, oculis abominationes hujusmodi & brutos homines de Cœlo aspicit Deus ? terribilibus profecto & scintillantibus, imò fulgurantibus , magis quam fuerint Assvero, qui Esthere Reginā non vocatā ad conclave ejus introeunte, ardentibus eam oculis aspexit, furorem sui pectoris indicans, ut idcirco illa protinus corruerit, & in pallore colore mutato lassum super ancillulam reclinarit caput: magis quam fuerint Augusto Cæsari, quem Justinus fulgurantibus oculis fuisse describit, ut idcirco miles unus quispiam in ipsum intendens, vultum illico demiserit. Rogatus à Cæsare, cur id faceret, respondit: *quia fulmen oculorum tuorum ferre non possum: magis quam fuerint Philippo II. Regi Catholico, qui cùm duos è suis Aulicis in templo immoderatius colloquentes torvius respexisset, alter illorum sic aspectu illo consternatus est, ut in maniam inciderit, & haud multò post sit extinctus.*

Chrysoſt.

Esther. 15.
Justin,

Job. 16.

Sanctus item Job c. 16. queritur: Suscitatur falsiloquus adversus faciem meam collegit furorem suum in me, & comminans mihi infre-

infremuit, contra me; Hostis meus terribilibus oculis me intuitus est. O quam vereor, ne Deus ex amico hostis factus ex his terribilibus oculis suis, quibus modo peccatores intuetur, fulmina ac tela ignea in mundum jaculetur! quam vereor, ne furor iræ illius omnes malè feriatos comprehendat, & igne involvat, quemadmodum involvit Anno Christi 1570. in arce Wartenbergensi apud Eberhardum Comitem Hohenloensem quo bacchanalium causa Germani aliquot Comites convenerant, Theat. Beyerl.
 Faunorum personas, multâ stupâ, lineis vestibus, pice, resinâque agglutinatis imitati. Ludo intentis omnibus, tesseram in terram fortuito casu delapsam puer personatus dum repetit, funalis incautiùs adhibiti flammâ conceptâ, opem adstantium implorare cœpit. Eberhardus puero opitulaturus, eodem malo corripitur, corripiuntur & cæteri; ita ut ignis tandem difficulter, copiosa veste injecta, sopitus sit; & personæ licet illæsæ repertæ sint, nisi quantum de stupa piccata flamma absumperat; at carnes subjectæ tam miseris ustulatae modis, ut nullis medicamentis vel ardor conceptus extingui, vel dolor mitigari potuerit. Adeoque paucis post horis Gregorius Tübingensis, Albertus & Eberhardus Hohenloenses Comites in ipso ætatis flore perierunt. Recentius dabo, quod, cum hæc An. 1675.
 scribo, fideli relatione accepi. Viennæ Austræ feriis item Bacchanalibus inter bacchantes personatus nonnemo fistulam ore gerens, dum eam vehementiore spiritu intrahit, hærentem exinde fauicibus retrahere nullo modo potuit: per gesticulationes & inconditâs motus corporis risum movit, cum jocari crederetur à sociis; sed serio rem agi patuit, cum miser inter aliorum cachinos est suffocatus. Brunæ item Moraviæ studiosus adolescens cum à choreis bene delassatus domum. Reversus haustum à Matre postulasset, eo poto repente in terram absque ullo pœnitentiæ dato signo exanimis concidit. Percussit nimirum hunc & illum non jam dico manus sed oculus Dei iratus, quomodo percussit, dissolvit & contrivit

Hab. 3.

gentes Chananaeorum apud Prophetam Habacuc : *aspergit enim & dissolvit gentes, & contritis sunt montes saceruli, Reges videlicet & Principes, qui Gigantio labore, magnitudine & multitudine militum, quasi montes quidam firmi, aeterni & inexpugnabiles esse videbantur, ac per multa saecula regiones illas invicti possederant; at ecce solo aspectu potentis numinis pulveris ad instar contritis sunt.* Hoc metuens David, postea quam gravibus sese sceleribus, poenae divinae obnoxium reddidisset, clamat & orat: Averte, o Domine! averti faciem tuam a peccatis meis. Quid ita rogas bene David, quisquepius alioquin rogabas: Psal. 26. Nè avertas faciem tuam a me, nè declines in ira a servo tuo? Psal. 43. Quare faciem tuam avertis? Psal. 118. Aspice in me, &c. Recte hic observat Hugo Cardinalis duplarem esse Deo faciem, duplarem vultum: alium justitiae, & alium misericordiae. Illum a se & a peccatis suis averti postulat Propheta, quia (ut alibi psallit) *vultus Domini super facientes mala ut perdat, perdat de terra & penitus aboleat memoriam eorum: hunc ad se converti petit, quia oculi Domini super justos, & poenitentes, & aures ejus in preces eorum ut exaudiatur, & miscreatur, propterea dicit; aspice in me & miserere mei, quasi diceret: non aspice me vultu & oculo justitiae tuae, non attende peccata mea, quibus iram merui, non enim justificabitur in hoc tuo conspectu omnis vivens; sed aspice in me & respice vultu misericordiae, secundum quod ait; Nollo mortem peccatoris, sed ut magis convertatur & vivat.*

Psal. 50.

Psal. 33.

Psal. 142.

Ezech. 33.

Psal. 50.

Psal. 26.

Psal. 54.

Vultum hunc tuum & faciem avertisti a me dum peccavi, & malum coram te feci; eandem faciem tuam Domine requiram per poenitentiam. Sed ubi requires? si oculos tuos vel modice in Coelum leves, ecce imminet tibi a facie irae Dei gladius utraque parte acutus, imminet pestilentiae signum & mortis imago calvaria: imminent dirae famis præfage virgæ: si descendas in infernum, ecce & illis timor & tremor venient super te & terrores Dei conturbabunt te. Scio, quid

quid faciam, inquit. Introibo ad altare in templum Dei, pro-
sternam me coram Arca foederis, & in spiritu humilitatis & in Psal. 42.
animo contrito dicam: Peccavi, & sic inveniam, quam requi-^{2. Reg. 12.}
ro, misericordiae faciem; quæsivit, invenit. Audiam psallen-
tem: Dominus exaudivit de templo sancto suo vocem meam:
audivit & misertus est mei. Templum hic vocat Propitia-^{Psal. 17. 29.}
torum, ubi asservabatur interea Arca foederis, donec in ve-
rum & magnificum templum à Salomone ejus filio postmo-
dum constructum est, de quo Deus: audivi orationem tuam,
& elegi mihi locum istum in domum; si populus meus hic exqui-^{2. Par. 7.}
sierit faciem meam, ego exaudiam & propitius ero; oculi quoq;
mei erunt aperti, & aures meæ eræctæ ad orationem ejus, qui in
loco isto oraverit. Erunt oculi aperti non ad incutiendum terro-
rem sed ad consolationem; erunt oculi aperti non jam ad ju-
stitiam, sed ad indulgentiam; non ad vindictam, sed ad grati-
am; non ad perdendum, sed ad salvandum.

S. II.

DEUSex SS. Eucharistia prospicit ut
misereatur.

HAbemus nos Christiani non unum duntaxat, quemad-
dum Judæi, sed quam plurima & frequentissima tempora,
in quibus non jam Arca cedrina & figurans, verum viva & figu-
rata asservatur, ipse videlicet D E I Filius incarnatus & corpo-
ratus, indeque quasi per fenestras & per cancellos prospicit super
filios hominum non jam ut iratus Judex, sed ut misericors Pater,^{Cant. 2.}
non ut Deus majestatis, sed ut Deus humanitatis; non ut Rex ^{Psal. 13.}
gloriae, sed ut Rex mansuetus; non ut fortis debellator, sed ut ^{Matt. 21.}
Propugnator ad Salvandum; non ut Assverus formidabilis, ^{Sap. 18.}
sed ut Assverus frater amabilis (Quid habes Esther? ego sum ^{Ifa. 63.}
frater tuus noli metuere) prospicit non tonans sed plandiens ^{Esther. 15.}
(super genua blandientur vobis) non subvertens montes in ^{Isa. 66.}
ruinam, sed convertens corda ad poenitentiam; non repellens ^{3. Reg. 19.}

&

Psal. 6.

Matth. 11.

Gen. 18.

Exod. 32.

Vir. c. 7.

Gen. 49.

Corn. à La-
pid. hoc loc.Chrysost. in
1. Cor. 10.

Hom. 24.

Matth. 5.

& dicens: *Discedite à me omnes operarii iniquitatis, sed alliciens & invitans: venite ad me omnes, qui laboratis, & peccatis onerati estis, & ego reficiam & relevabo vos; prospicit denique ut videat, si est intelligens aut requirens Deum, si non jam stet sed flecat coram eo, ut deprecetur pro peccatis populi & loquatur pro eis bonum, & dicat cum Abraham & Moysi: Esto, Domine, esto placabilis super nequitia populi tui. Numquid perdes justos cum impiis? absit à te ut hanc rem facias.* Sic ferè orabat & deprecabatur B. Angela de Fulginio coram SS. Eucharistia, & ecce vidit in ea geminos oculos fulgentissimos & pulcherrimos, è quibus radii promicantes in faciem ejus vibrabantur, ut ipse amet testatur: *Vidi, inquiens, in Hostia duos oculos splendidissimos.* Erant nimurum hi oculi oculi illi, quos in Christo jam olim commendabat Patriarcha Jacob vaticinans de eo: *Lavabit in vino stolam suam, & in sanguine uera pallium suum: pulchriores sunt oculi ejus vino, vino, quod per vitrum venustè flavescit, punicat, & iridis colorem imitatur; q. d. flaventiores, rubicundiores & ardentes sunt oculi tui, magisque radiantes & fulgentes, ô Christe, quām vinum, quia loti per passionem, pérque splendidissimam Resurrectionis tuæ gloriam, quæ maximè in facie & oculis resulget, emicant & radiant, miraque omnium Sanctorum & justorum intuentium in se oculos lētificant. Sed cur vino pulchriores? dixerim, vel ideo; quod in vino cum pulchritudine coloris simul insit aliqua acrimonia & austeritas; in oculis verò Eucharistici Dei nihil austerum, nihil acre, nihil durum inest, sed toti suaves, toti mites ac benigni sunt, ut idcirco divus Chrysostomus Eucharistiam non dubitaverit appellare benignitatis Dei thesaurum: dicendo, inquit, *Eucharistiam, omnem benignitatem Dei thesaurum aperio.* Adumbravit hunc thesaurum Deus in lucidissimo mundi oculo Sole, quem *oriri facit super bonos & malos, qui desuper ex æthere quasi de speculo universam terram aspicit & contemplatur, cuncta illuminans, homi-**

nes & jumenta , grandes bestias & minutissimos vermiculos, campos, agros, silvas, hortos, ipsasque lacunas, omniaque calore suo resovet, eisque vitam ac vigorem indit; unde etiam apud Veteres pro Symbolo beneficentiae & amicitiae habebantur. Hinc Tullius : *Solem è mundo tollere videntur, qui amicitiam è vita tollunt.* Pythagoras apud Laertium oculos portas Solis appellavit, eo quod in his dum sereni sunt benignitas & amor præcipue resideat, teste Aristotele, & Solis instar beneficia in alios effundunt. Intueamur nunc Sacram , quæ in altari prostat, Hierothecam , intueamur in ea cum B. Angela Lucidissimos illos Jesus Eucharistici oculos, an non illi vere Portæ sunt Solis, Solis beneficentissimi uberrimè in omnes coelestes gratias diffundentes? perissset jampridem totus cum hominibus mundus, merebaturque millies aut novis Cataclysmi aquis dilui, aut Sodomæis incendiis absumi, aut sagittis venenatis configi , nisi Eucharistica Misericordia facies faciei Justitiae sece opponeret, ut non nullis sanctis animabus cœlitus est revelatum. Figurabat geminas hasce facies Cherub ille apud Ezechiel c. 41. de quo ita ibi : *Duæ facies habebat* Ezech. 41. *Cherub: faciem hominis juxta palmam ex altera parte, & faciem Leonis juxta palmam ex altera parte.* In quem locum Hugo Cardinalis differens ait Cherubinum illum biformem Christum esse, qui in primo sui orbem adventu faciem habuerit humanam scilicet Misericordia, & usque nunc habet in SS. Eucharistia; in secundo vero adventu, quando ad judicandum veniet, habebit faciem Leonis scilicet Justitiae. O quam sepe haec Justitiae facies ad vindictam peccatis mortalium concitatur, quorum vita, ut ait Innocentius Pontifex, plena est peccatis mortalibus, tum vel maximè his diebus, ut supra me minimus: quam sepe, inquam, Justitiae facies ad vindictam concitatur, quam sèpè protestatur: *delebo hominem à facie terra, & jamjam deleret, nisi facies Eucharistica pro eo interpellaret, ac diceret: respice, à Justitia! respice in faciem Christi* Gen. 6. Psal. 83.

tui, respice in faciem illam tot alapis & pugnis percussam, tot sputis Judæorum foedissimis deturpatam, sordido velo obvelatam & obtenebratam, tot livoribus ac tumoribus quasi absconditam (*quasi absconditus vultus ejus Isa. 63.*) respice & converte gladium tuum, quem vibrasti; in locum suum; absconde sagittas tuas, quas exacuisti, in pharetram; remitte arcum tuum, quem retendisti, & parce ira anima tua; quod si recusas, ecce ego non recuso denuo pro peccatoribus percuti, cruentari, velari, alapis cædi, conspici, & illudi. Et ô! lugubre spectaculum! videre mihi videor cum Sebastiano à Gratierio è Sacro Capuccinorum auctorito religionis præcellentis viro, ipsummet Christum in eadem forma & vultu, quo à Pilato quondam populo ostensus est. Referunt enim Annales

Baling, 2. I.

Hug.

dicti Ordinis, & ex his Balinghem dicto viro Missæ de Passione Domini celebratæ intento, ad Agnus Dei apparuisse in Hostia consecrata. *Iesum* vultu ad omnem miserationem à quovis corde extorquendam composito & aptissimo in toto illo, qualiter tunc erat, doloris apparatus, cùm à Pilato productus palam est, cum dicto: *Ecce homo!* Respicite & vos peccatores in hanc eandem facie Christi vestri, Creatoris vestri, Salvatoris vestri, Patris vestri, Amici vestri, quicum dilexisset vos, *in fine dilexit* vos, respicite in facie quam sic deformastis, quam ita conspuistis, quam ita percusistis, quam sic lachrymam effecistis, quam sic obscurastis, respicite, & videte in quem conspuistis, quem percusistis, in quem confixistis, & vel sic miserandum miseramini quiescendo agere perverse. Fluant ab oculis lachrymæ, virga poenitentia cordis rigorem conterat, cordis tam inhumani, tam barbari, tam efferi, tam crudelis, tam immitis, tam ferrei, tam adamantini. Quod si vos mea verba non emolliunt, emolliant ipsius Christi ex ore Divi Augustini vos ita alloquenteris:

Joan, 13.

Aug. Serm.
267 de
temp.

Ego te ô homo de limo manibus meis feci, ego terrenis artibus infudi spiritum, ego tibi meam imaginem conferre dignatus sum. Tu vitalia mandata contennens deceptorem sequi quam Deum

Deum voluisti. Cum expulsus de paradiſo mortis vinculis propter pactum tenereris, carnem assumpsi, in praesepio expositus & pannis involutus jacui, infantia contumelias humanosque dolores pertuli, irridentium palmas & sputa suscepi, flagellis casus, vepribus coronatus, cruci affixus exspiravi. En perfossum vulneribus latus; cur, quod pro te pertuli, perdidisti? cur, ingrata redempti nis tua munera renuisti? cur habitaculum, quod mihi in te sacra veram, luxurias & ordibus polluisti? cur me graviore criminum tuorum cruce, quam illa, in qua quondam pependeram, affixisti? gravior enim apud me peccatorum tuorum crux est, in qua invitus pendo, quam illa, in qua tui misertus mortem tuam occisorus ascendi. Et licet post omnia mala tua, post torturam injurias mihi illatas, ab auditu malo non merebaris liberari, non merebaris veniam consequi tamen vel uno bono oculo, vel uno pio intuitu aspice in me, & miseretur tui, & omnium injuriarum tuarum obliviscar. O charitatem infinitam! ô bonitatem ineffabilem! ô misericordiam inexhaustam! quæ ut in nos quoque de vultu tuo pro-
deat, Tu nos, Eucharistice Jesu, hic congregatos, & omnes pro quibusc deprecamur, tu nos labantes respice, Et nos vi-
dendo corrige, quemadmodum videndo correxisti labantem &
peccantem Petrum: Si respicis, labes cadunt, Fletuque culpa
solvitur, Et non peribimus.

Psal. 17.

FERIA II. POST DOMINICAM

Quinquagesimæ.

Gaudium peccatorum punctuale & fallax.

Gaudium Hypocritæ ad instar puncti, Job. 20.

Hilaria celebrante mundo universo, rideam, an magis
fleam, nescio. Si flevero ceteris per ordinem concin-
L1 2 nentibus,

nentibus, metuo, nè velut exoticus aliquis Heraclitus & importunus universalis lætitiae obturbator, Sibilis & Sannis imò & verberibus , è communi hominum cætu exigar audiāmque: appage, insane morio & non impedias musicam. Si risero cum ridentibus, vœ illud divini oraculi pertimesco : vœ vobis, qui ridetis nunc. Novi equidem dictum à Salomone : *Tempus rideendi tempus flendi.* Scio dictum ab Apostolo: *gaudere cum gaudientibus, flere cum flentibus.* Sed nunc tempus præfens gaudendi an flendi tempus sit, valde ançipitem dubiumque me reddit gnome illa Jobi, quam prothematice dictionis paulo antè allegavi: *gaudium hypocrite ad instar puncti.* Hypocritæ, id est, mundi; quid enim in eo non simulatum, quid non fucatum, non fictum & deceptorium? ad instar puncti, hoc est momentaneum brevissimum trium scilicet dierum, quibus bacchanalium gaudio concluduntur tempus puncto ipso minus, juxta illud Senecæ effatum: *Punctum est quod vivimus, & adhuc puncto minus.* Dixerim ego: punctum est, quo gauderis, ô clientes Bacchi, & adhuc puncto minus. Si enim, teste Regio Propheta, *mille anni ante oculos Dei, tanquam dies unica, tanquam dies hesterna, qua præterit;* quid erit annus unus, quid mensis, quid hebdomas, quid terni isti dies? vix medium momentum efficient Secundum proportionem arithmeticam, ut calculanti liquebit. Adeò gaudia vestra non sunt gaudia (ejusdem Senecæ verbis utor) ut potius initia futura tristitia sint, id quod præsentis discursu enucleabo, ubi probavero gaudia & lætitiam hujus mundi non tam esse veram lætitiam, quam terminum doloris seu punctum ejusdem inchoativum.

§. I.

Extremum gaudii mundani, luctus et tristitia.

INTER controversias Philosophorum quæ etiamnum hodièq; vigent, gravissima pene & acerrima est de punctis. Zeno enim

enim cum suis asseclis quodlibet continuum meris punctis in-
divisibilibus constare docet : Aristotelici contra nulla in con-
tinuo dari puncta ut Sacrasanctum tenent : alii medium viam
tenentes continuum ex partibus & punctis componunt, ut sci-
licet una pars cum altero punto continuetur ; ita ut idem
punctum, quod priorem partem terminat, iniciet sequen-
tem. Mathematici autem puncta docent esse quid imaginaria-
rium definiuntq; punctum cuius pars nulla. Si gaudia mun-
dana ex Parte objecti & ut in se sunt expendere velimus revera
deprehendemus, non esse aliud, quam puncta imaginaria. Et
quidem primò puncta sunt, quorum pars nulla. Quæ enim
pars esse possit nihili, seu potius (ut in abstracto loquar) ipsius
nihileitatis ? Sic enim ea vocat Jobus, prospera quæque an-
tequam in finum dejiceretur expertus, dicens : *nihil sunt dies* Job. 7.
mei. Itane Jobe, nihil sunt dies tui? quos cum omni felici-
tate & gaudio *exegisti*; quando lavabas *pedes tuos butyro*, &
petra fundebat tibi rivos olei; quando cum liberis tuis *jucundè*
epulabaris, & bibebas *vinum cum lætitia*; quando procedebas
ad portam civitatis & in platea parabant *cathedram tibi*; quan-
do Senes tibi assurgebant, & ante te stabant, Principes cessa-
bant loqui, & digitum superponebant ori suo, vocem suam
cohiebabant duces, & lingua eorum guturi suo adhærebat, &c.
nihil sunt, inquam, tam læti & tam gloriosi dies tui? nihil in-
quit : *Siquidem velociores fuerunt cursore*, fugerunt & non vi-
derunt bonum, fugerunt *velut umbra*, quæ cum Sole cursore
velocissimo (uno enim istu oculi millena millaria decurrit)
æqualiter fugit & transit; ut in stylo horologii solaris animad-
vertere est. Pulchrè Magnus Gregorius : *Sicut stylus in puncto* Greg. in
dum ponitur, levatur; ita homo presentis vita gaudia, dum Job.
tangit, amittit; ita ut ea vel delibâsse, sit quodammmodo per-
didisse. Cito enim (ait Sapiens Cordubensis) cito nos voluptas
relinquit, quæ fluit & transit, ut pene antequam veniat, au-
feratur. Quod ipsum confirmat Stephanus Cantuariensis in

illud Joël I. *Ululate omnes, qui bibitis vinum in dulcedine: quoniam periit ab ore vestro: Signatus dixit periit, quam dixisset, perit, vel peribit: quia adeo est instantanea delectatio ut potius dicenda sit praterita, quam futura, licet sit in praesenti.* Delectatio planè imaginaria est phantastica cuius nulla fruitio teste Gregorio Nisseno; ut potè, *qua in momento temporis fit, & pro qua asservanda nullum in hominum natura est penus; quam quidem homines omnini ope comparare conantur; sed instar fallacium phantasmatum, cum teneri à voluptatum amatoribus creditur, derepente evanescit, & in nihilum recedit.* Sic Regius Psaltes canit: *qua pro nibilo habentur, eorum anni sunt. Ubi ex Hebreo congruenter nonnulli vertunt: eorum anni sunt nihilitas.* Et vero cum mundi hujus gaudia ex creaturis duntaxat capiantur, non possunt quid reale & positivum, sed merum nihil & nihilitas censeri, quando ipsorummet creaturarum centrum est ipsum nihil, dicente Cyrillo Alexandrino: *quasi quidam creaturarum locus configitur ipsum nihil.* Quid quod eadem mundi gaudia cum peccato plerumque conjuncta sint, quod & ipsum grande nihil appellare non dubitavit subtilis Augustinus, illud Joannis I. *Sinè ipso (Deo) factum est nihil, sic explicans: sinè ipso factum est peccatum: quid, inquam, quod mundi gaudia cum peccato plerumque conjuncta sint, & ex rebus illicitis capiantur, Sapientissimo Salomone de impiis ita pronunciante: latantur cum male fecerint, & exultant in rebus pessimis; immò, ut ex Hæbreo textu verti potest: cantant, tripudiant, saltant. Tripudiant & cantant cum sese imoderato seu mero, seu Zytho ingurritarint; cum alios in comportando superarint, exultant cum fœdissimis amoribus & libidinibus, bestiarum instar, abunde indulserint; cum choreis delassati fuerint; exultant, cum se de adversario vindicarint; saltant, cum alios insigniter defraudarint. O gaudia nulla gaudia! fallimini, & frustra vosmet ipsos decipitis vestri ipsorummet impostores, qui dicitis: ubiq. relin-*

Nissen.
tract. I.

Psal. 89.

Trov. 2.

Sap. 26.

relinquamus signa latitia : nullum sit pratum , quod non per-
 transcat luxuria nostra : vino pretioso nos impleamus , quoniam
 hac est pars nostra ; fallimini , inquam ; lætitiae vestrae nulla
 pars ; punctum est in gravissimum luctum ac mœrorem desi-
 nens ; Salomone iterum pronuntiante : *extremus gaudiū luctus* Prov. 14.
occupat. Videas mihi hunc aut illum , hodie ad cantharos &
 pateras vino optimo spumantes confidentem , jubilantem , &
 io ! evax ! vociferantem ; cras eundem videbis obligato capite ,
 facie pallidâ , luridâ , mortualique larvæ simillimâ incidentem ,
 vel potius vacillantem , ac ejulantem : ah ah ! heu ! *caput meum* 4. Reg. 4.
doleo ! caput meum doleo ! torquentur ilia , lacerantur viscera ,
 fastiditur cibus , nausea palatum occupat , ah ! heu ! videas a-
 lium , qui pridie in circo & choreis instar capræ pedes jaectando
 saltitabat ; hodie nodosa podagra & chiragra lecto implicitum .
 movere se penitus non valentem & quiritantem : O quantum
 cruciat tanto empta dolore voluptas ! quæ ita describit Hippo-
 nensis Doctor : *est in illis oculorum caligo , vertigo , fatigatio ,*
 & dolor capitis , suffusio vultus , membrorum omnium tremor ,
 animæ ac mentis stupor , in talibus impletur , quod scriptum est :
 cui vacui tumultus , cui ira , cui rixa , cui sine causa vulnera ,
 cui suffusio oculorum ? nonne his , qui morantur in vino , & eis ,
 qui investigant ubi potus sunt , & student calicibus epotandis .
 Quot non audivimus , & ipsimet spectavimus obortis inter
 compotandum rixis miserandum confosos & ad plures mis-
 sos ! ad quos , amabò , plures ? ad eos nempe , de quibus ait Jo-
 bus : *Terunt tympanum & citharam , & gaudent ad sonitum* Job. 21.
organi , ad melos & cantum barbiti fidiūmque , & in puncto ad
inferna descendunt .

§. II.

Mundi gaudia & inferorum dolores in puncto
se contingunt .

Docent Mathematici , corpus perfectè Sphæricum si cor-
 pori plano imponatur , illud non contingere nisi in pun-
 cto .

Aug. 1 serm.
 231. de
 temp.

Prov. 42.

Etio. Plano sibi & recto spacio incedere videntur mundicolar^z ; quibus , ut ait sapiens : via eorum *videtur justa & recta* ; interim circumquaque volvitur magna sphæra æternitatis nunquam terminabilis , quæ ubieos contigerit , continuò secum in ruinam & baratum abripit ; contingit autem in puncto . Unde recentior nonnemo vanicum juvenem alloquens , quærit : Scis quantum te inter , & tartarum sit spacio loci ? quo nec est , nec esse potest angustius unum punctum . Si ergo tibi in hoc statu , in quo vivis , si hoc loco , quo consistis ; si hoc ipso momento , quo spiras , spirare desinas , in puncto ad inferna descendes ; ità ut illud ipsum momentum , quo extremitati exhalas spiritum , sit tibi futurum infaustæ æternitatis exordium . Quæstio famosa est inter Doctores ubinam , & quo loco sit infernus damnatorum carcer : & communiter docent esse in medio ac in ipso centro terræ . Positâ ergo terræ (ut nonnulli Mathematici ponunt) diametro mille septingentorum octodecim milliarum , æquinoctialium , erunt in nobis usque ad infernum millaria octoginta quinquaginta novem ; longa imprimitur , diceret nonnemo , distantia , & quæ pluribus annis , ut conficiatur , opus haberet . Quomodo si quis ad Indias hinc abire velleret , biennio vix ad terminum perveniret ; legati Japonici (de quibus historia Societatis I E S U) Anno 1583 . Romam ad summum Pontificem profecti , Anno demum 1585 . Urbem tenuerunt . Longa omnino videretur abhinc ad tartarum distantia . Sed tam grave est vel unius lethalis peccati pondus , ut intra unum momentum scelestam animam eō degravet & ex filio gaudii , filium æterni cruciatū ac tristitia efficiat . Si juvenis quispiam hoc momento inopinatè peremptus & in peccatis animam impenitentem exspirans , sequenti statim momento nobis conspicuus & aspectabilis appareret , ô quam horrendam , quam miserabilem momentu uno factam in eo spectaremus metamorphosim ! Immediate vidimus illum totum floridum ac vernantem , cin-

Stanibust.
hist. Paision
Sen. 1. §. 2.

natum,

natum, fronte eburneâ, purpurantibus genis, vividis ac renitentibus oculis, coccineis labiis, splendido uestitu auratis firmbris, & volantibus ligulis ceu totidem flosculis interstineto, rotto denique corpore meras gratias referente: & rursus immediate videremus illum tetricimâ specie, vultu carbone nigrantiore, vipereis crinibus, & per caput horridum sibilantibus, oculis & naribus scintillas efflantibus, iectu oris ad aures usque deducto, dentibus quâvis runcinâ acutius mutuo collisu stridentibus, linguâ ad cubitum exerta, flammis velut amictu totum involutu, vociferantem & ejulantem: *momentaneū quod delectat, eternum quod cruciat!* O momentum maximi sanè momenti, à quo pendet eternitas. Et tamen tam parvi à mortalibus penditur, ut in ipso eternitatis confinio, & ad ipsa tartari ostia ridere ac jocari, saltare ac tripudiare lubeat. Memorant Regem vixisse, qui aut nunquam aut nisi rarò subrisit, quantumvis ei & Sol pulcherrimè affulgeret, & æquabilis fortuna constantissimè arrideret. Proceres ut causam pertinacis tristitiaë intelligerent, fratrem Regis subornârunt; quam ipse quoque ingeniosè doctus est. Continuò enim Rex imperavit fossam fieri, eam dein vivis carbonibus impleri. Mox supra fatalem illam foveam sedem ipsâ vetustate suâ fragilem collocari. Supernè pendebat gladius è filo, terror, exitiumque sellam occupaturo. Quin etiam mensa stabat, referta quidem exquisitissimis gulæ irritamentis, sed vicinissima fossæ sedique fatali; in quam, ut Rex fratrem suum posuit, simul cingi jussit ex quatuor partibus à quaternis armatis, quorum singuli strincto ferro imperebant convivam. Interim & tubæ perstrepuerunt & tympana, Regiæ majestatis argumenta. Excepérunt hos Martis clangores mollioris musices deliciæ; jamque & voices, & fides, & (quod caput est) Rex ipse fratrem suum invitare cœperunt, ad dapsilis cœnæ pretiosa fercula poculaque. Sed nempe omnem homini gustum corrupit, omnem abstulit orexin, cœdefacta prunis fossa, sella ruinæ & casui vicina;

Mm

gladii

gladii denique cervici undique imminentes. Rex uti adver-
tit, nihil magnopere de mensa sua sapere fratri, manifestis pe-
riculis omni ex parte circum septo ; hem ! ait, deinceps mirari
desine, quando me aspexeris sub tristiorem. Nempe cum su-
spicio ad Cœlum , judicem meum cerno Deum , & vindicem
eius strictumensem. Cùm despicio ; inferi se aperiunt , p-
násque æternandas minantur lethiferis culpis. Cùm circum-
spicio ; & noxæ meæ se ante oculos objiciunt , & conscientia
testis & mors insidiatrix , & dæmones non solum inhiantes, sed
etiam velut ferrum stringentes, facturi animæ meæ vulnus ,
nullo ævo sanabile , si contigerit eis me in spolium venire. O
utinam exemplo boni hujus Regis bacchanalistæ nostri sape-
rent & intelligerent , ac novissima providerent ! cogitarent,
dum ad mensas, epulis & poculis refertas assident, dum ad ti-
bias chorosque musicos pedibus plaudunt, sedere se & saltare
supra abyssum & foveam tartari modico coniectam cespites ;
non , credo , tuburcinari , non ridere , non cachinnari , non
plaudere , non tripudiare illis luberet : qui enim novit doloso-
cespiti , cui insidet aut instat , baratum ac voraginem subesse ;
quam ille immotus sedet , quam caute & suspenso pede gres-
sum figit ; nè fors illi contingat , quod militi cuidam contigisse
oculatus tradit scriptor. Præteritis scribit ille , annis cùm e-
xercitus noster per inferiorem Saxoniam iter faceret , adversus
Regem Danum conflicturus ; contigit ut eques Polonus co-
rruitem sibi canem haberet. Hic ut è frumento consurgentem
vidit lepusculum , spe prædæ pellestus , insequi cœpit ; sed &
herus ; spectabant interim milites cum risu ternarium in
perniciissimo cursu , leporem , canem , equitem . Sed neque
diu spectarunt , risusque omnis in gemitum condolentiæ mi-
gravit , nam ecce tibi , non lepus , sed venator captus fuit ; seu
potius in medio campo , eoque palludosò evanuit : dum in fo-
veam molli cespite tectam ita profundè ex templo subsidit , ut
nihil amplius de equo , nihil de viro compareret , præter pileum
ipso

P. Paul. Ze-
hentner
promont.
lib. 1. §. 9.

ipso lapsu è capite excussum. Idem non rarò accidit Bacchi & Veneris nepotulis, qui dum fortius saltitando terramque pedibus pulsando, non jam lepores, sed nescio quos insanos lepores & fugaces voluptatulas infestantur in puncto ad inferna (ut iterum Jobi verbis utar) descendunt delassati in via iniqitatis, pileo è capitibus eorum deciduo, in signum æternæ Servitutis, quâ se æternum Dæmoni mancipârunt, æternis vinculis adstringendi. Inter malas, quas homines interdum fibimet mutuo imprecantur diras & imprecations, pessima omnium censeri potest illa, quâ alter alteri optat, ut à terra dehiscente vivus deglutiatur, & à tartaro sorbeatur; quomodo & sanctissimus David peccatoribus, & iis maxime, qui scienter peccant (ut interpretatur Hugo Cardinalis) imprecabatur: *Psal. 54.*
descendant in infernum viventes : qualiter descenderunt Corre, Dathan & Abiron in *D E U M* ac Moyse rebelles ac seditioni, de quibus *Num. 16. Dirupta est terra sub pedibus eorum, & Num. 16. aperiens ossuum, devoravit illos cum tabernaculis suis & universa substantia eorum, descenderuntque vivi in infernum.* Qualiter descendit Drahomira Boëmiæ Princeps Sanctissimi Filii Wenceslai pessima mater, quæ ecclesiolum S. Matthæo Apostolo sacram Pragæ in territorio Raczan dicto prætervercta, equorum rectore auriga ad sonitum campanulæ equo desiliente, & divinam hostiam, quæ tum forte elevabatur, flexis poplitibus adorante, dum horrendas blasphemias in *D E U M* Christique fideles evomit, è vestigio unâ cum curru & equis in profundum terræ hiatum abripitur. Prosternit etiamnum hodieque eodem loci columna tanti exitii perpetuum monimentum.

Imprecor & ego omnibus hujus tridui nepotulis, græculis phagonibus, ludionibus, saltatoribus & bacchantibus; imprecor, inquam, quod héri imprecabar, ut descendat in infernum viventes. Sed descendant non corpore sed mente; mente dico, hoc est, cogitatione & contemplatione, contemplan-

do & juxta modum meditantis S. IGNATII de Loyola per applicationem sensuum paenarum tartareas sibi repræsentando.

Exercit. V. I. Spectare per imaginationem vasta inferorum incendia, & animas igneis quibusdam corporibus, velut ergastulis aut fornacibus inclusas. II. Audire imaginariè planetus, ejulatus, vociferationes, atque blasphemias in Christum & Sanctos ejus illinc erumpentes. III. Imaginario etiam olfactu fumum, sulphur, picem, & sentinacujusdam superficies atque putredinis graveolentiam persentire. IV. Gustare similiter res amarissimas, ut lachrimas, rancorem, conscientia vermem, viperas, bufones & omnis generis virus ac venenum. V. Tangere quodam modo ignes illos, quorum tactu ipsa anima amburuntur. Hæc & talia, qui mente identidem recogitaverit, non tam facile, credo, occasionibus peccati & proximis æternæ damnationis periculis sese temerarie exponet; juxta illud Siracidæ consilium: *In omnibus operibus tuis memorare novissimam, & in aeternum non peccabis.* In omnibus ait, inter comedendum & bibendum, etiam in his, quæ ad relaxationem animi faciunt, in omnibus studiis, negotiis, laboribus, &c. Consideratio enim, inquit S. Augustinus, hujus sententia, destractio est superbia, extinctio inuidia, medelam malitia, effugatio luxuria, evacuatio vanitatis & jactantie, constructio discipline, perfectio sanctimonie, preparatio salutis æternae. Et Divus Bernardus: Fili, ait sapiens, memorare novissima tua & non peccabis: nimurum, ari & Pauli, quod hac cogitatio maxime faciat timoratum; timor expellat peccatum, negligentiam non admittat. Novissima autem nostra sunt, mors, judicium, gehenna. Quid horribilius morte? quid judicio terribilius? nam gehennæ nihil potest intollerabilius cogitari. Quid metuet, si quis ad ista non trepidat, non expavescit, non timore concutitur? & si quis non concutiat (ait Lovatiensis interpres) peccus est vellapis, non homo, chalybs est, filex est.

Eccl. 7:

**August. in
spec. peccat.
c. I.**

**Bernard.
serm. 2. in
festo SS. Pe-
tri & Pauli,**

FERIA

FERIA III. POST DOMINICAM
Quinquagesimæ.

Bacchanalium valedictio.

*Si secundum carnem vixeritis, moriemini,
Roman. 8.*

Comedamus & bibamus ; cras enim moriemur, dicunt im- Isa. 22.
pii Bachii & ventris nepotes apud Iсаiam. O præclarum
& bellam causalem & consequentiam ! cras moriemur,
cras ad supplicium educemur, ergo hodie comedamus & biba-
mus, ergo epulis & vino nos largè impleamus ac ingurgite-
mus, ergo ubique relinquamus signa latitiae nostræ. Nonne Sap. 5.
magis dicere debuissent : cras nobis moriendum; ergo planga-
mus & ploremus, ergo abstineamus & jejunemus, ergo instru-
menta musica & organa nostra in salicibus suspendamus, ergo
pullâ veste induamur, ergo lugeamus. Sed non miror pecui-
nas ejusmodi voces ex ore Atheorum & impiorum epicureo-
rum proferri; qui putant animam cum corpore interire, &
præsentes tantum voluptates captant bestiarum instar, quæ
antequam jugulentur, optimè saginantur : at quod inter Chri-
stianos eosque Catholicos similia hodie audiantur, id enim ve-
rò non tantum in primis mirandum, verum & summè deplo-
randum mihi merito videtur. Dicunt & illi : comedamus &
bibamus, atque infarciamus nos ultrà quam natura exigat ;
cras enim moriemur ; moriemur carnibus, moriemur deliciis
& lauitiis mensarum, moriemur conviviis ac epulis, saltibus
& choreis ; cinere conspergentur capita nostra, & occinetur
nobis tristis nænia : memento homo quia pulvis es, & in pulve-
rem reverteris. Comedamus & bibamus, & sic bacchanali-
bus valedicamus ; quid enim hæc aliud sunt, nisi vale carnium ?
ut idcirco lingua sua Itali ea non aliter appellant, nisi Carni-
val, caro vale ; & Boëmi nostri Massopust / carnem dimitte ;

Germani

Germania autem **Fastnacht** / Quadragesimæ instantis pervigilium , quo scilicet homines in epulis & symposiis , totis noctibus solent pervigilare . Sed absint à Christianis ejusmodi vigiliæ , quibus dicitur , ac præcipitur : *vigilate & sobrii estote : vigilate in orationibus in Psalmis , hymnis & canticis spirituilibus : & attendaite , nè forte graventur corda vestra in crapula & ebrietate , & superveniat in vos repentina dies illa Domini , quæ veniet ut fur , & tanquam laqueus . Salubrious vobis in præsentiarum consilium suggeram , quo tutò atque vel in ipsa Quadragesima Bacchanalia agere ac celebrare possitis .*

I. Pet. 4.
Col. 3.

§. I.
Carni propria valedicere , est sancta Bacchalia agere .

Gen. 24.

Luc. 5.

Luc. 22.

Exod. 5.

Usu receptum est inter parentes & liberos , inter cognatos & amicos , cùm eos longè abire , & ab invicem separari necesse est , laetum convivium , coenamque dapsilem , quam valedictoriam appellant , instruere , convocatis ad eam cunctis familiaribus . Sic Gen. 24. Bathuel filiam suam Rebeccam Isaaco Abrahæ filio in matrimonium elocaturus , & à se proculabegaturus , convivium apparavit : *inito convivio (ait sacer textus) vescentes pariter & bibentes manserunt ibi servus videlicet Abrahæ , cum amicis puellæ .* Sic Matthæus ad secundum Christum ex telonio evocatus , ut suis contribubili bus , publicanis valediceret , fecit eis & Christo *convivium magnum in domo sua .* Quin & ipse Christus ad Passionem iterus , & à suis discipulis abscessurus prius cum illis ultimum cænare voluit , dicens : amodo non manducabo , neque bibam vobis cum , donec regnum Dei veniat . Instat nobis , quotquot genuini orthodoxæ & catholicæ Matris Ecclesiæ filii sumus , instat nobis ; inquam , longum iter in solitudinem , non jam trium dierum duntaxat , uti sibi instare dicebant Israëlitæ , dicentes ad Pharaonem : *DEUS Hebreorum vocavit nos , ut eamus*

mus trium dierum viam in solitudinem; sed iter quadraginta omnino dierum, & si Dominicas interferere libet, quadraginta sex. Hoc tam longum & arduum iter solo spiritu à carne se juncto conficiendum est, juxta illud Paulinum monitum: *spiritu ambulate & desideria carnis perficietis.* Qualiter iter illud confecit ipse Salvator quando *ductus est in desertum à spiritu;* vel, ut alius Evangelista habet, *expulit eum spiritus in desertum,* hoc est impulsu vehementi egit ut non tam ambulare, quām currere & volare videretur. Amodò itaque dicat spiritus carni: vale caro: valete carnis pignora: jam nū mihi vobis-
cum, abeundum est ad solitudinem: divelli nos oportet, si vi-
vere volo, inclamante rursum Apostolo: *Si secundū carnem Rom. 8.
vixeritis, moriēmini.* Vale caro, & moriare tu & tua pigno-
ra, ut vivat spiritus. Hic ego inconditos ejulatus & lamenta
audire mihi videor, carnea circumstrepente & vociferante
turba; vociferatur luxuria, immunditia impudicitia: Cosmo-
phile, *deseris nos?* siccine omni voluptati renuntiabis? *Ira, ri- Galat. 5.
xæ, dissensiones, scelæ, invidie, homicidia, &c.* clamant: ergóne
omne martium pectus & virilitatem exues, exgeneroso leone
simplex ovis effectus, & inimicis tuis eorumque injuriis te sco-
pum expones? *Ebrietates, commissiones, ludi chartæ, &c.* eju-
lant: ergóne deseris nos? & anachoreticā austерitate vividum
tuæ juventutis florem omnino proteres propriæ carnis tuæ fa-
ctus carnifex & crucifixor? Ita est, caro crucifigenda es cum
tuis pignoribus, nè te ultrâ vel movere possis & insurgere at-
que concupiscere adversus spiritum eumque captivare *in le-* Rom. 7.
gem peccati repugnantem legimentis meæ, protestante iterum
Doctore gentium Paulo: *Qui Christi sunt, carnem suam cru-* Galat. 5.
cifixerunt cum vitis & concupiscentiis, & continuo producit
prægrandem crucem boni ac pœnitentis latronis de monte
Golgothæ, arreptóque malleo & clavis, ipsam primum car-
nem, tum ejus filios ac filias Sanctius cruci prolatæ affigit &
configit, quām in fabulis Cupidines Amorem, de quibus ita
versibus lusit Poëta Ausonius:

Galat. 5.

Matth. 4.

Marc. 1.

Galat. 5.

Rom. 7.

Erigitur mœsto myrtus notissima luco,
 Invidiosa Deum pœnis. Crucia verat illis
 Spretæ olim memorem Veneris Proserpina Adonin
 Hujus in excelsô supensum stipite amorem
 Devinctum post terga manus substictaque plantis
 Vincula mœrentem nullo moderamine pœnæ
 Affigunt.

Sic suam ipsius carnem affigebat, hic sacerdos memoratus Paulus, de se profitens: *Christo confixus sum cruci: vivo ego non jam ego: non jam Ecclesia Christi persecutor, sed Apołtolus;* Jam non Phariseus & emulator paternarum mœrurum traditionum ac superstitionum, sed prædicator veritatis & doctor gentium; jam non lupus rapax, sed pastor bonus. Vivo in carne sine carne, & castigo corpus meum & in servitudinem redigo. Insanisne Paule, numquid ipse dixisti; *Nemo carnem suam odio habuit, sed nutrit ac fovet eam?* insanio equidem diceret, sed insaniam ejusmodi & stultitiam ipse Christus prior stultisavit ac ita stultisare me docuit; hæc sunt sancta & jucundissima nostra bacchanalia, qui stulti sumus propter Christum & cum Christo. Sic stultisarunt quām plurimi Sancti, quos inter Jacoponus cui aliquando amore Christi fese in cloaca voluntanti Christus Dominus conspicuus, utrum stultisaret, exprobasset, opportunè respondit: tu potius ô Domine, tu magis stutisasti, quando amore mei tam miseri hominis patibulum inter duos latrones ascendisti. Ita stultisarenos vult cūm alias tum hoc potissimum Quadragesimæ instantे tempore Diva Mater Ecclesia quando præcipit nos ab escis & desideriis carnaлиbus abstinere uti parcus verbis, cibis, & potibus, somno, jocis, & arctius perstare in custodia: qui furabatur jam non furetur: qui epulabatur quotidie splendide, & ventrem suum opiparis implebat dapibus, post hac unā vilioris cibi refectione in die contentus frugalius vivat: qui superfluo potu ad ebrietatem se ingurgitabat, post hac moderata mensa utens sobrietas

tis limites non excedat: qui molibus cuticulam suam fovebat, exinde eam aspero cilicio confricet, & incussis verberibus lividam efficiat. Et hæc est sapientissima stultitia, hæc nobilissima & divina Bacchanalia. Solemne est inter magnates & viros nobiles feriis Bacchanalibus quoddam ludi seu potius honestissimæ stultitiae genus, quam economiam vocant, depositâ & quodam modo exutâ nobili personâ vilem aliquam v. g. rustici opilionis, hortulani, trituratoris, villici, fabri, lanionis, cocci, &c. personam induere atque sic personatos in publicum prodire. Similem lusum lusit DEI filius, ex quo in mundum venit, & inter homines conversatus est: nam primum in sua incarnatione, depositâ quodammodo, vel potius dissimulatâ Domini personâ, personam accepit servi, (exinanivit semet ipsum formam servi accipiens) in Bethleem nascens personam induit mendici ac pauperis (pannis eum involvit, Mater) fugiens in Ægyptum persona megit peregrini. (Expectatio Israël, quare futurus es velut vir vagus?) Jerm. 14. reversus in Nazareth & in domo parentum per complures annos versatus personam egit fabri (nonne hic est faber?) Marc. 6. baptizatus à Joanne in Jordane schema peccatoris assupmsit, (ecce qui tollit peccatum mundi) quadraginta dies in deserto Joan. 1. jejunans, Moysis & Eliæ figuram in se adimplevit (quem dicunt homines esse filium hominis? alii Eliam &c.) prædicans Evangelium doctorem egit (erat docens quasi potestatem habens) disseminans verbum DEI, personam egit agricolæ (exitus qui seminat) pascendo turbas personam egit pastoris seu opilionis (ego sum pastor bonus) pertransiens benefaciendo & salvando omnes, personam egit medici (non est opus valentibus medicus sed male habentibus) in Passione demum sua personam egit latronis (tanquam ad latronem existis &c. Et: cum inquis deputatus est) donec totam redemptoris humanæ economiam consummaret. Erimus & nos in hac ejus œconomia socii, si depositâ superbiâ induerimus humilitatem si- Wirths. schaffst. Philip. 2. Luc. 2.

depositâ aváritia & divitiarum cupiditate, siamus spiritu pau-
peres, ex gulosis & ebriosis temperantes ac sobrii ex libidino-
fis casti ac pudici, ex iracundis mansueti, ex inuidis benevoli,
ex acidiosis spiritu fervidi, ut possit unus quisque dicere: vivo
ego non jam ego, vivit vero in me Christus, & hic humilis cor-
de, & hic pauper & egenus, & hic misericors & benignus, &
B. Petr. 3. hic mansuetus, & hic carne mortificatus, & hic crucifixus. Jam-
verò quam jucunda sit hæc vita omnibusque Saturnalibus &
Bacchi lœtitiis jucundior expertus dicat magnus Augustinus,
qui postquam carni ejusque operibus valedixisset, proclamare
non dubitavit: *O quam suave mihi subito fuit carere nugas
nugarum & vanitatibus vanitatum?* dicat expertus Romu-
aldus Camaldulensis. Monachorum fundator, qui cum se
jeuniis, & omnis generis austerioribus assidue exercebat, vul-
tu tamen adeò latè semper erat, ut intruentes ex hilararet: dicat

Brev. Rom. Februarii. S. Franciscus Borgia olim Gandia Dux, qui postquam mun-
do & carni sanguinique valedixisset carnis mortificationem
meras delicias reputabat, ut dictaret, diem illum minimè ju-
cundum sibi fore, quo in se flagris non animadvertisset. Ita-
ue Francisce flagra tibi & verbera epulæ sunt? Ita, diceret cum
In vita. Sanctis Marco & Marcelliano: flagra mihi epulæ videntur.
18. Junii. Et hoc est quod ipse met Salvator intellectum volebat, quando
Marth. 6. dicebat: *cum jejunatis, nolite fieri tristes, sed ungite capita ve-
stra;* quasi diceret: cum Quadragesimale jejunium inchoa-
tis, nolite ob id contristari, sed cogitate vos meliora baccha-
nalia celebraturos, & melius epulaturos, loquens ex more Ju-
dæorum, quibus lœtis in rebus præsertim convivis unctiois
usus erat, ut pater ex libro Ruth. c. 3. ubi socrus Ruth Boos
Matrimonio jungendæ dicit: *lavare & usgere & induere
antioribus vestimentis &c.* Et Luc. 7. Christus exprobrat
Simoni, quod oleo caput ejus ad convivium invitati non un-
xisser.

Qui secundum carnem vivunt, tristem Bara-
scevera agunt.

AT ecce quām novam tristissimā Parasceves denuo vide-
 Are mihi videor faciem. Videram nudius tertius benignissimum JESUM in ea forma, quā à Pilato ostensus fuerat
 populo flagellatus & spinis redimitus, cum dicto: *Ecce homo!*
 hodie insuper video eundem in ea forma, quā crucem ad mon-
 tem Golgottæ bajulavit, & qualiter visus est quondam in por-
 ta Urbis Romæ divo Petro Apostolorum Principi declinanda
 persecutionis Neronianæ causā ex Urbe discedere paranti,
 grandi videlicet onustum cruce; cumque ex illo sciscitor
 quidnam sibi hæc species velit, respondet, ut respondit Petro:
Vado iterum Romam (vel in Urbem N. & N.) crucifigi. Itanè
 crucifigi mi JESU? rursumne à Judæis & gentibus? non ab
 his tantum, inquit; sed magis à fidelibus meis & dilectis filiis
 Christianis, qui carnem sectando & opera carnis exercendo,
 rursum sibimet ipsis crucifigunt filium hominis, ut meus lo-
 quitur Apostolus: *rursum crucifigentes sibimet ipsis filium* Hebr. 6.
 hominis: ubi pensiculatè notanda verbarursum & sibimet ip-
 sis. Rursum hoc est peccatis suis occasionem præbendo no-
 væ crucifixionis; faciunt enim, propter quod Christus cruci-
 fixus est, & si fieri posset, denuo crucifigeretur. *Sibimet ipsis*
 & non aliis, hoc est suo damno, in suam perniciem & exitium
 alligando videlicet suis peccatis Christum & impotem quo-
 dammodo efficiendo, quò minus eisdem benefacere & cle-
 mentia suæ brachia, è quibus omnia bona & dona promanant,
 ad eos extendere valeat; os tamen illius nequaquam alligan-
 do, è quo procedit gladius utraque parte acutus & rhomphæa Apoc. I.
 illa terribilis in ultionem & vindictam malorum. Modum Petr. Dam.
 autem istum pessimum crucifixionis ità explicat S. Petrus serm. I. de
 Damiani, alloquens peccatorem: *vide nè rursus tibimet ip-* Cruc.
 Cruci-

si crucifigas filium DEI, & hostem tui habeas, rursus fabricans
 crucem, in qua crucifigatur ille, qui resurgens ex mortuis jam
 non moritur. Intuere, nè mortiferam crucem efficias, in qua
 facias filium DEI amaris doloribus interire. Superbia su-
 perius, inferius luxuria, à dextris prosperatio iniquitatis
 à sinistris adversitatis desperatio spinas, clavos, & lan-
 ceam, filio Virginis representant. Cum enim elevas te &
 ambulas collo extento, caput altissimi spinarum multiplicitate
 contorques. Cum ponis oculos tuos ut non respicias Cœlum, &
 voluptuosis carnis tuae motibus moveris, & traheris, durioribus
 clavis pedes Omnipotentis transverberans, ab inferiori infers
 supplicium, dum momentanea voluptate, voluntatem Domi-
 nantis excludis. Cum prosperaris in iniquitate, fætidiori cur-
 su rerum peccata peccatis accumulas, clavum ponis in illius
 dextra, quem de suis bonis prosequi non desisti. Cum vero
 abundantiori tristitia absorberis, & tuam impietatem pietati
 DEI preponderas, sinistram ejus transfigis, & conceptum furo-
 rem fureore tuae desperationis amplificas. Denique cum pra-
 sumis defendere quod fecisti, lancearem iustum lateri Salvato-
 ris intorques: nihilque gravius ingeris crucifixo, quam tueri
 quod odit. O luctuosam Parasceven & priore illâ Hierosol-
 limitana multo luctuosiorem! in illa enim Christus mortuus
 est pro peccatis nostris, ut nos offerret DEO & vivificaret
 spiritu; in hac autem moritur nobis & exspirat, nosque ca-
 daver sine spiritu relinquit: ipse enim est spiritus noster, quo
 DEO vivimus, exspirat autem & intercipitur peccatis no-
 stris; juxta illud Threnorum quarto: *spiritus oris nostri
 Christus captus est in peccatis nostris.* O infelix peccator! mor-
 tuus est in te Christus, quem amaris doloribus fecisti interire
 in te! quibus non lacrymis deplorandus es? lugent ac moe-
 rent super te omnia Cœlilum in maria, obscuratur Sol atque Lu-
 na, scinduntur petræ, contremiscit terra horrore scelerum
 tuorum & Christicidii à te perperrati; aperiuntur sepul-
 chra, ut te excipiant & contumulent, tonat super te Cœlum &
 fulmi-

fulmina undique circum contorquentur. Quid facies miser?
 ubi & quo fugies à facie peccatorum tuorum? fuge ad do-
 mum poenitentiae & Quadragesimæ, imitando exemplum
 adolescentis cuiusdam studiosi, quem elegiacis versibus de-
 scribit D. Hermannus Hugo S. J. prosa verò D. Paulus Ze-
 henter ejusdem societatis in hunc modum. Moribus hic va-
 nus & mundi carnisque legibus vivens ad perditionem sui
 properabat. Objecta illi fuit, *Nubila, lurida, squalida, tetri-*
ca, terribilis nox; secum vehens ingentem inter fulgura &
 tonitruorum boatus tempestatem. Juvenis ergo, medio in
 campo deprehensus ab irato cœlo, ut duram minantium su-
 pernè fulminum evaderet necessitatem visus est proximam
 domum petere cursu accelerato. Sed hospita adolescenti
 obvia; Ego inquit *Justitiâ* hîc habito; nullis fores meæ pa-
 tent, nisi justis: è quorun numero quia non es facessere te
 hinc jubeo & aliam querum exutere. Abit ergo exclusif-
 simus. Juvenis; & quoniam habitationem aliam conspexit
 in vicina, eò se festinus contulit, vi tempestatis urgente, &
 metu lapsuri fulminis. Sed neque istarum ædium domina
 recepit hospitem, causata se *Veritatem esse*, cui minimè con-
 veniret cum amatore fallacis, atque evanidæ voluptatis. Jam
 igitur iterum properat ad domicilium tertium, exiturus fu-
 rias inter se pugnantium nubium, flamasque expuentium,
 signa conceptæ indignationis; inde progressa in occursum
 Matrona serenitate vultus sui, eam se esse ostendit, quam ver-
 bis professâ est, *Pacem:* quamquam etiam ipsa occlusit ja-
 nuam fugitivo adolescenti, quod diceret admitti non posse
 in domum suam impio; quibus teste Spiritu sancto, pax non
 esset. Tamen nè undique exclusum consilio destitueret!
 svasit ut ad proximum fororis suæ palatium sese conferreret,
 semper paratæ miseris succurrere. Quod ubi ille fecit sub-
 ministrante timore alas pedibus: hem tibi! *Misericordia ex-*
cipit anhelum: atque ut verè declinare valeat, irati olim

DEI tempestatem, casurumque in scelestos homines aeternæ damnationis fulmen, tutum monstrat refugium, sancti Dominici familiam. Cujus albo eò libentius nomen suum postea Juvenis dedit, quod speraret sic certius, nigrum se Judicis theta evasurum. Evadetis & vos, quotquot hoc ferale Parasceves triduo Christum vobismet ipsis crucifixistis, & (ut iterum cum Damiano loquar) amaris doloribus fecistis interire; evadetis, inquam, si ad domum Pœnitentia, & gravis ac piæ matronæ Quadragesimæ confugeritis illius habitum, (hoc est sacrum & cicilium &c.) suscepitis, ex illius præscripto ac legibus vixeritis, opera denique pœnalia & satisfactoria exercueritis: qualiter docuit Iudeos iram DEI fugere ac evadere Divus Joannes Baptista, dicens: Progenies viperarum, quis demonstravit vobis fugere à ventura ira? facite ergo fructus dignos Pœnitentia. Quinam verò sint hi digni Pœnitentia fructus, explicat Seraphicus Doctor, facite, inquiens, fructus dignos Pœnitentia, ut sit satisfactio condigna, quia Deut. 25. dicitur: pro mensura peccati erit & plagarum modus. Et Doctor Angelicus: triplex est fructus dignus, Pœnitentia, primus est, ut puniat in se, quod commisit, & hoc iudicis sacerdotis. Secundus est, ut fugiat peccata & occasiones peccati: Tertius est, ut tantum studeat ad bene agendum, quantum studuit ad peccandum. Juxta illud Pauli: Sicut exhibuisti membra vestra servire immunditia & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra vestra servire justitiae in sanctificationem. Ita exhibebat sancta illa vidua Romana Paula, qua à Divo Hieronymo subinde admonita paulum aliquid de severitate, qua suum corpus macerabat, remitteret, respondebat: Turpanda est facies, quam contra DEI praeceptum, purpuriso & cerussa, & stibio sepe depinxi. Affigendum corpus, quod multis vacavit deliciis. Longus risus perpeti compensandus est fletu. Mollia linteas

Matth. 3.

Bonav. in
c. 3. Luc.

D. Tom. in
c. 3. Matt.

Rom. 6.

Hieron in
Epitap.
Paulæ.

linteamina, & serica pretiosissima, asperitate cilicis commu-
 tanda. Qua in re mihi videtur imitata foemina peccatri-
 cem, quæ instrumenta lasciviarum, nempe, oculos, capillos, odo-
 res, in instrumenta poenitentiarum convertit: lacrymis caput ri-
 gare pedes ejus & capillis capitum sui tergebat & osculabatur
 pedes ejus, & unguento ungebat. Quod expendens Divus Luc. 7.
 Gregorius: Quod, inquit, sibi turpiter exhibuerat, hoc jam Greg. hom.
 DEO laudabiliter offerebat. Oculis terrena concupierat: 13, in Evan.
 sed hos jam per poenitentiam conterens flebat. Capillos ad
 compositionem vultus exhibuerat: sed jam capillis lacrymas
 tergebat. Ore superba dixerat: sed pedes Domini osculans,
 hos in Redemptoris sui vestigia figebat. Quot ergo in se ha-
 buit oblectamenta, tot de se invenit holocausta. Convertit
 ad virtutum numerum, numerum criminum; ut totum ser-
 viret DEO in poenitentia, quidquid ex se DEUM contempserat
 in culpa. Similiter unusquisque hanc Quadragesimam secum
 concludat, quod etiam suadet Divus Ambrosius quidem Vir-
 gini lapsæ: Sicut exhibui membra & carnem meam servire
 iniurianti ad iniuriam; ita eandem exhibebo deinceps ser-
 vire poenitentiæ ad justificationem. Ambros. ad Virg. Jagh. c. 8.
 Accipienda est mihi lu-
 gubris vestis, & mens ac membra singula digna castigatione pu-
 niendo. Desfluant oculi lacrymis, qui foeminam simpliciter
 non aspicerunt, sed libidinose: pallescat facies, qua ante hac
 viruit impudicè: denique rotum corpus inediâ maceretur, ci-
 nere aspersum & opertum cilicio perhorrescat, quia male sibi de
 voluptate placuit: cor vero sit liqueficans, sicut cera, jejuniis;
 quia in membra corporis, cum haberet dominationem, malo ces-
 sit imperio. Grande scelus grandem exigit satisfactionem. Hanc
 qui præstiterit per poenitentiam, gloriari & exclamare poter-
 bit cum S. Petro de Alcantara post mortem: O felix poenitentia,
 quæ me cum bono latrone faucibus tartari ereptum ad para-
 disum perduxit, & tantam mihi promeruit gloriam! O felix
 poeni-

August,

1. Cor. 15.

pœnitentia, quæ me è peccatore justum, è filio gehennæ si lì-
 um Regni fecit! ô felix pœnitentia! tuum est Regnum, tua est
 Potentia, vincis invincibilem, ligas omnipotentem. Non lice-
 at mihi ultra gloriari, nisi in pœnitentia, in qua est salus vita
 & resurrectio nostra, Pascha nostrum, quod gloriosum & eò
 glorioius celebrabimus cum Christo, quo magis spiritu facta
 carnis mortificaverimus: tunc enim eadem caro nostra, quæ
 fuit hic animalis, surget spiritualis; quæ fuit hic corruptibilis,
 surget incorruptibilis; quæ fuit crassa, surget subtilis; quæ
 fuit lenta & tarda surget agilis; quæ fuit hic mortalis, sur-
 get immortalis; quæ fuit hic in ignobilitate,
 surget in gloria.

A. M. D. G.





INDEX RERUM.

A.

Admirabilia in mundo nulla.	64
Adolescentia periculis exposita.	110
Adolescentulis privata vita utilis.	105 seq.
Alcedonia.	180
Altaria in templis sunt Bethleem.	12
Amicitiae imago.	56
Amor multiformis.	3. 28
vulnerat, & medetur.	41
bonus, & malus.	47
maternus.	82
fugitivus.	104
crucifixus.	280
amor Christi in hominem.	266
amoris jacula.	40
natales.	52. 53
amoris nomina.	88
Angeli sanctissimo nomine JESU dra- conem de celo deturbant.	94
angelorum nomina.	89
Animæ justorum stellis similes.	125
anima vestiri odit.	58
Apostolici viri diversarum regionum.	193
sunt felices messores.	192
Aquaæ vis.	15
Architecti boni testimonium.	203
Asinus Bethleemiticus.	241
Audacia.	172

Aures in corde.	231
incircumcisæ.	234
auriculam habere, est Spiritui S. ob- temperare.	235

B.

Bacchanalia nobilium.	281
eorum valedictio.	277. 279
eorundem malus exitus.	261
Bacchantium in Deum clamor.	259.
	260
Botrus.	74. 75
Benignitas Dominorum.	163

C.

Clefaciendi praxis spiritualis.	62
Caseus peccato comparatur.	76
Caftitatis exemplum.	114
Charitatis exemplum.	164
Chinarum regnum populosum.	190
Christus lapis dictus.	93
Nazarenus.	100
Christi variæ formæ.	287
eius adventum præcesserunt ingen- tes maris procellæ.	174
crucifixus aures obturat.	187
Plura vide litterā JESUS.	
Christianum decet tribulationibus ex- erceri.	180
Choreæ.	156
Cibi spirituales.	152
Oe	
Cœ.	

INDEX RERUM.

Cœlum est denarius.	225	Deliciarum cordis, & corporis discri-
ejus desiderium.	226	men. 153
Cœcitas infelicitas.	243. seq.	Denarius, & drachma quid sit. 224
Cœcitas Iudeæ.	246	Deus multa dissimulat. 257
Perri.	245	est admirabilis. 2.5
Comœdia spirituales.	33	dicitur esse dupli vultu. 262. 265
Conciones sunt speculum.	239	Deum ambulare, jacere, dormire,
eas negligere noxiun.	187	quid denotet. 185
quomodo audiendæ.	240. 232	Deus homo noster consanguineus.
utilitas.	233	
multitudo Pragæ.	241	Dei nomina. 43
Concionatores zelosi.	236. 195	Divitiae hominibus noxiæ. 182. 223
impii.	235. & 236	Dolor de peccato. 206
Confessio sacrilega.	215	Dominandi methodus. 157. seq.
Conscientia bona.	149. 153	
ejus effectus.	154	E.
malæ conscientiæ descriptio.	147.	Cœlestia naviculae comparatur. 177.
Consuetudo altera natura.	148	
Contractus Dei & hominum.	208. 209	fundata est patiendo. 178
Conversatio periculosa.	217. seq.	similis grano sinapis. 198
Convictuum, & seminariorum nostro-	279	Epiphania Domini. 203
rum utilitas.	114	Equi pretiosi. 116
Convivia splendida.	145	Evangelizare est messem instituere. 160
Romanorum.	151	Evcharistia hominem transformat in
valedictoria.	278	Christum. 36
Corauritum.	231	est uber lactifluum. 77
Cuculi vox inanis.	210	misericordia thesaurarium. 263. seq.
		est oculata. 264
		colorem mutat. 264
		Exempla trahunt. 83
		128

10

D Æmonis aspectus horribilis.	248.
	249
perturbar auditores concionum.	232
cuculo similis.	210. 211
aliae ejus similitudines.	212

F.

Fili quomodo curandi.	112.73
exemplum filii improbi.	134.136
descriptio.	
Fortuna adversa homines efficit pro- bos.	134 176 pro-

INDEX RERUM.

prospera infert oblivionem DEI.	Jesulus est magister.	5. seq.
	vult queri.	12
est mare.	est fortis.	11
hominibus noxia.	advocatus.	16
Fortitudo virium.	ignis frigens.	61
Fraterni amoris exempla.	vera amicitiae imago.	§6. 57
	compareret inter brachia Sanctorum.	
85		
<i>G.</i>		
G Alaxia, seu via lactea ad infernum.	Jesus duodennis.	130. 131
	Inferni distantia.	272
Gaudium verum.	ejus memoria salutaris.	273. 276
mundi gaudia luctus excipit.	viam habet lacteum.	81
Granum sinapis Ecclesiae simile.	sancti Innocentes candidi, & rubicundi.	51
	eorum clades.	39
<i>H.</i>		
H erodis mors.	Initium omne est difficile.	202. 203
H omo est civitas DEL.	Insignia nobilitatis.	51. 121
navis.	Ira divinæ signum descensus in terram.	258. 259
animal sociabile.	Juventus rosæ comparatur.	114
improbus amat publicum, probus	Juvenis vanus inter tempestates.	285
privatum.	Judicium extremum mæssis est.	192
bonus semini, malus zizaniis similis.		
	<i>L.</i>	
<i>I.</i>		
J ESU sanctissimi nominis derivatio.	Ac infantibus necessarium.	75. 76
	est vinum puerorum.	78
dicitur anima DEL.	lactis naturam proles sequitur.	79
verbum testimonii.	Lacrymæ parvolorum Propheticæ.	18
munitio.	lacrymæ sunt amoris testes.	19. 20
Ramoth seu excelsum,	stellæ.	22
turris.	musica.	21
navulum morientium.	margaritæ.	24. 25
est viatoriosum.	lacrymæ foecundant.	23
magis venerandum, quam tetra-	Lætitia impiorum.	277
grammaton.	quæ sit vera lætitia.	32. 35. 154. 282
	Lamiarum descriptio.	80
	Liberalitas divina.	219. 225. 228
	Oo 2	Lolium

INDEX RERUM.

- Lolium oculis, item agris nocet. 189
 Loqui ad cor. 231
 Luxuria horrendum exemplum. 136

M.

- M**Ali cur à Deo tolerentur. 194
 Magnificentia Jobi. 269
 Maria mater admirabilis.
 ejus annuntiatio. 108
 Mariae descriptio. 173
 Martyria frugifera. 197. 198
 Martyribus Ecclesia florescit. 198.
 199
 Mater infantes ipsamet laetet.
 matris probæ exemplum. 143
 maternus amor. 82
 Matrimonia varia. 146
 Metamorphosis momentanea. 272.
 273
 S. Michael. 102. 94
 Miles fortis. 49. 50
 Monstra horrida. 249
 Mors infelix. 103. 229. 215. 213. 275.
 222
 subitanea. 321. 222. 274
 læta. 156
 morientium vox Jesus. 101
 Mortificatio. 279. 280. 282
 Mulieres seducunt viros. 4
 Mundus est parvus.
 mirabilis. 1. 2. 66. 65
 est contemnendus. 7
 nequit verè lætari. 155
 ejus malum stipendum. 229
 stultitia. 8
 vanitas. 268. seq.

- est agro similis. 190
 malis hominibus plenus. 190. 226

N.

- N**Activitas Principum solennis. 31
 Natalis Domini quomodo in luctum transeat. 37
 Naves cymbalo comparantur. 182
 Nautæ dicuntur bis mortui. 173
 Nazaræus, & Nazareth. 106. 113
 Negligentia damna. 205. 207
 Nobilitas vera in virtute consistit. 50.
 51. 127
 Nobiles cur Deus faciat religiosos? 127
 Nobilitas sancta. 122
 Nominis ambitio. 87. 97. 98
 Nomina lepida infantum. 88
 Novissimorum memoria salutaris. 276
 Nuptiæ solennes. 145

O.

- O**ccultari utile adolescentul. 105.
 seq.
 Oculi horrorem incutiunt. 260
 Oculi DEI duplices. 262
 Oculivino comparantur.
 sunt portæ Solis. 264
 Oleum misericordiam designat. 170
 Orationes Deus exigit. 177. seq.
 Osculari Christum est ipsum profiteri.
 85

P.

- P**arentum obligatio. 140. 141
 in proles amor. 135
 cura de prolibus. 112. 113
 Parvulus quis? 7
 Parvulorum preces efficaces. 14

Pasto-

INDEX RERUM.

Pastorum fortuna.	11	Puer quis dicendus?	9.10
Patientia utilitas.	199.200	Puncti descriptiones Philosophicæ.	269
Patientia Ecclesiam fundavit.	198		
Peccati gravitas.	188.284		
clamor.	258	R. Atio domina sensus.	156
turpitudo.	250	Regimissis terreni origo.	157
peccatum Adæ.	251	Religiosorum lætitia.	155
hominum antediluvium.	253	Resurrectio, & nativitas Christi parallela.	36
Sodomitarum.	254	Rifus quid?	29
peccatum est nihil.	270		
excœcat hominem.	243. seq.	S.	
peccati stipendum mors.	228.229		
Peccatores porcis comparantur.	80	S Agitta.	49
captivi dicendi.	91	Saltus spiritualis.	33.156
semper agunt parasceven.	283	saltus infelix.	38
cur saepe non exaudiantur?	186	Salvator, & Jesus dicti nonnulli.	90
cur tolerentur?	194	Sancti amore vulnerantur.	48
ex peccatoribus famosis magni Sancti.	194	sunt similes stellis.	126
Pecunia efficacia.	220. seq. 227	Sanguinea complexio est amori naturalis.	42
Persecutio Ecclesiæ.	178	Sanguis Martyrum est instar rosarum.	
Davidis.	179		
agriculturæ comparatur.	197	sanguis in rosas conversus.	114
Planetarum apud Hebræos nomina.	118.119	Seminariorum, & convictuum nostrorum utilitas.	144
Pœnitentia fructus.	286.287	Sepulchrum dignit arborem.	50
exemplum singulare.	206	Sensus custodiendi.	205
impœnitentia exemplum.	213.214	Servi Dominis pretiosi.	159. seq.
Præsepe Jesuli.	55	eorum miseria.	159
Principium omne est grave.	202.203	servis nunquam bene est.	160
Principibus convenit benignitas.	162.	eorum officium.	171
	163. 158	Severitas nimia cavenda.	164. seq.
Prolium erga parentes obligatio.	130	moderata laudabilis.	168
Procrastinatio perniciosa.	210. 211.	Solis majestas.	116
	213	utilitas.	265
Prosperitas mari comparatur.	181	cursus.	269
est hominibus noxia.	183	Solitudinis utilitas.	107.111
		Oo 3	Stella

INDEX RERUM.

Stella Sanctorum trium Regum.	117.	Venationis infelix exitus.	274
Stulti propter Christum.	120	Verbum DEI quidam fructuose audiatur.	232
Superbus homo.	280		34
	237	Vestitus elegans.	58
		vestimenta Christi sunt justi.	40
T.		Victimæ amoris.	90. 91
Templa amanda.	107. 108	Victoriosi homines.	170
sunt verum propitiatorium.	263	Vinum iram denotat.	75
templum pacis.	74	nocet infantibus.	153
Terræ magnitudo.	272	vinorum varietas.	84
Tetragrammaton minus est quam SS.		Virgines lactifluæ.	108. 110
nomen Jesu.	98. 99	debent amare solitudinem.	124
Timor inferni salutaris.	273	Virtus inter adversa clarescit.	204
Torques.	113	est maximum hominis bonum.	124
Tristitia quæ sit laudanda.	27	stellis fixis comparatur.	188
tristitia orta ex rebus amissis.	238. 239	Vita nostra est navigium.	142
Turres celebriores.	96. 97	Vocatio ad statum religiosum.	
V.			
Valedictorium convivium.	278	Z.	
Vanitas mundi.	67. 68. 123	Zizaniorum copia.	190
Ubera infantum centrum.	73. 86	Zizania sunt mali socii.	201.
			202

F I N I S.



Errata sic corrige.

DAgina, 4. linea 8. Samsonis, lege Samsones. pag. 7. lin. 7. prætiosa quæque, lege pretiosa quæque. p. 23. l. 3. expetabatis, lege expetebatis. p. 25. l. 20. lacrymarum, lege lacrymam. p. 30. l. 30. concinna, lege inconcina. p. 46. l. 1. lege fierent. p. 54. l. 12. sevalidus, lege squalidus, & l. 14. amorum, lege amorem. p. 74. l. 12. genuerit, lege genuerint. p. 61. l. 27. a.; lege ad. ib. 29. conatus, lege concentus. p. 64. l. 1. dicebatur, lege dicebantur. p. 76. l. 27. comparens, lege comparans. p. 79. l. 23. tegris, lege tigris. p. 86. l. 4. quædere, lege quererem, & l. 23. aversud, lege aversus, & l. 25. expugnat, lege expungat. p. 97. l. 3. ducenda, lege ducenta, & 26. nomininis, lege nominis. p. 102. l. 29. jugulando, lege jugulanda. p. 112. l. 27. ille, lege illi. p. 115. l. 17. apientum, lege sapientum. p. 116. l. 13. ac vina, lege agmina. p. 118. l. 3. atidi, lege aridis. p. 116. l. 8. ad, lege at. & lin. 12. omnia, lege omnia. ib. l. 14. antecessores, lege antecessor, ib. 16. Jumæa, lege Idumæa, ib. l. 22. Es, lege Es. ib. quia paruit, lege qui apparuit. p. 121. l. 25. altum, lege altam. p. 131. l. 27. quæfus, lege questus. p. 134. l. 25. licebat, lege libebat. p. 136. l. 15. jehennæ, lege gehennæ. post pag. 138. posita est pag. 239. lege 139. p. 144. fili, lege fili. p. 151. l. 22. bone quæ, (ut, lege bonæ (quæ ut, p. 152. l. 21. tu, lege ut, p. 159. l. 3. sunt, lege sint. l. 7. curationa, lege curatione. p. 161. l. 19. uti que, lege utique. p. 166. l. 7. esse, lege esset. ib. l. 15. aggerere, lege oggerere. p. 167. l. 14. portabant, l. portabunt. p. 168. l. 12. stella, lege stilla. p. 182. l. 8. gentilicos, lege gentilitios. p. 185. l. 23. conteri, lege conteriti. p. 191. l. 5. linmanis, lege immunitis. p. 192. lin. pen. Agyptus, lege Agyptus. p. 193. l. 29. Asticæ, lege Africæ. p. 194. l. 9. cum triginta uno eorum legibus, lege cum triginta uno eorum regibus, l. 15. eti, lege & si. l. 17. thagis, lege Thais, & lin. antepen. austrii, lege austri. p. 196. l. 12. potentis, lege poteritis. p. 112. l. 29. alloquos, lege alloquor. p. 202. l. 27. partuerit, lege parturit. p. 212. l. 19. quas, lege quos, ib. 26. quarto, lege quarto, ib. 28. affectæ, lege affectæ. p. 213. l. 17. oppenebatur, lege opperriebatur, ib. lin. antep. viatico, lege viatico. p. 222. l. 24. quod, lege quo, & p. 223. irritus, lege non irritus. p. 229. sui, lege suis. p. 243. l. 14. quid, lege qui, l. 16. qd. lege quid, ib. 20. quod, lege quid, ib. l. 21. origenes, lege Origenes. p. 257. l. 18. ambulat, lege perambulat. p. 262. l. pen. illis, lege illic. p. 267. l. 16. miseretur, lege miserebor. p. 268. l. 15. gaudio, lege gaudia. p. 281. l. antepen. Redemptio, lege Redemptionis. p. 283. l. 1. Basceven, lege Paraseven.

NB. Hos aliosq; errores typi, Amice Lector, Auctori ne imputa; librum suum alienis commisit oculis.

qnd

e

DBR. I

38.
Ex. actis ulto

ere ant

lantib

et roll

lum ite